AUTHOR:

BENECKE, KARL ADOLF

TITLE:

DE CICERONE
ETYMOLOGO

PLACE:

REGIOMONTI

DATE:

[1835]

Master Negative #

93-81172-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870E
Z

Benecke, Karl Adolf,

De Cicerone etymologo; dissertatio quam scripsit ... Carol.Adolph.Benecke... Regiomonti Prussorum, Paschke, [1835]

60 p. 22 cm.

Thesis, "pro venia legendi", Königsberg, 1835.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

Contents.

DE CICERONE ETYMOLOGO

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT
ET
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ALBERTINA
PRO VENIA LEGENDI
D. V. DECEMBR. MDCCCXXXV
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET

CAROL. ADOLPH. BENECKE
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ASSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO
FRANCISCO AUGUSTO BRANDSTAETER
MEMELENSI, PHILOLOGIAE STUDIOSO.
ADVERSARIORUM PARTES TUEBUNTUR
JUSTUS FLORIANUS LOBECK
SAXO
ET
REINHARDUS MAURITIUS HORSTIG
LUSATUS,
PHILOLOGIAE STUDIOSI.

REGIOMONTI PRUSSORUM.
IMPRESSIT CONRADUS PASCHKE.

Praefatio.

Quum ceterarum fere omnium literarum primordia ac progressus magis minusve siut illustrata: philologi adhuc egent atque adeo carent grammaticae graecae et latinae historia. De caussis, ex quibus diuturna huius disciplinae neglectio profecta sit, fusius dissererem, si timendum videretur, ne quis levitatis ac futilitatis incusaret historiam grammaticae. Quod vix cuiquam in mentem veniet, qui secum reputaverit, quam aegre acerrimus quisque graeci latinique sermonis animadversor horum studiorum desideret et inceptionem et absolutionem, atque quanta animi intentione, quod a multorum opera derelictum est, sibi unus studeat conquirere. Sed qui universum harum literarum ambitum mente comprehendant, pauci fortasse sunt; qui per scripturam totam doctrinam complexus sit, si verum quaerimus, nemo. Exstiterunt tamen

nostra aetate viri, ut ab ingenii acumine laudabiles, ita a doctrinae copia instructissimi, qui operam in hoc studiorum genere collocaverunt haudquaquam contemnendam. Disputavit enim de grammaticae graecae primordiis Classenius, de Aristarcho Lehrsius, Rankius de Polluce et Luciano ac de lexici Hesychiani vera origine et genuina forma, de Oro et Orione Ritschelius. Qui quidem omnes, id quod ex ipsis inscriptionibus licet colligere, quaestionem instituerunt de iis, qui proprio nomine vocantur, grammaticis. Quod ego, tantum abest, ut minus probabile, arbitrer, ut rectissime atque optimo iure factum existimem.

Verum si aliquando contigerit, ut, quidquid grammatici in consuetudine sermonis indaganda rationibusque linguae explicandis profecerint, uno velut tenore perspiciatur explanatum: non deerunt forsitan, qui ultra hos terminos progredi cupiant, ipsa artis incunabula scrutaturi fonticulosque investigaturi, ex quibus deducti rivuli post longiorem demum decursum quasi flumen grammaticorum studiorum effecerint. His ego non credo verendum, ne operam et oleum perditum eant. Etenim perfecta erant multo ante grammaticos excellentissima in omni genere scribendi Graecorum opera; apud Romanos, quum primi grammatici exsisterent, tum maxime literae florebant. Etiamsi igitur locupletibus veterum auctorum testimoniis indigeremus, tamen coniectura facile assequeremur, fuisse iam antea, quam ars exerceri ac tradi coepta sit, inter eos, quorum laus non minimam partem in facultate

bene eleganterque scribendi vertitur, haud paucos, qui, si non via et ratione, at opportunitate certe oblata de indole ac natura linguae cogitaverint. Namque solertia copiose, magnifice, ornate politeque dicendi non insita est cuiquam et innata sed meditatione et iudicio comparatur. At vero coniectura nihil opus est in ea re, quam certis argumentis habemus contestatam. Ut enim de Pythagora taceam, qui caussis nescio quibus adductus, ut opinaretur, nomina esse simulacra rerum, ab *ὀνοματοθέταις* non ad arbitratum, sed pro natura rerum significatarum inventa, notam illam excitavit disceptationem, per plura saecula in utramque partem agitatam, utrum *θέσει* an *φύσει* lingua exorta esset; ne porro sophistarum commentationes commemorem, de partibus orationis, de variis nominum classibus, de *πυθμέσιν* enuntiatorum, de synonymis similibusque rebus disserentium; ut denique Platonis, Aristotelis, Peripateticorum, Stoicorum placita grammatica omittam: haec omnia, quae breviter enumeravi, ut silentio praeteream, restant tamen in classicis cuiuscunque generis scriptoribus loci permulti, qui in unum coacti et ad ordinem adducti grammaticae infantiam e tenebris in lucem proferre queant.

Inter eos autem locos, quos ad grammaticam spectare dico, non exiguum numerum in origine vocabulorum illustranda versari, minime potest mirum videri. Nos omnes enim, licet a grammatica factitanda longe simus alieni, tamen naturali quasi quodam impetu ferimur, ut, si quando in verba inciderimus propriae cuius-

dam ac peculiaris naturae, non prius desistamus rimari, quam qua de caussa sint ita appellata, nobis dilucidaverimus. Quod quum ad omnia vocabula valeat, tum maxime de nominibus, quae vocantur, propriis statuendum esse, ex quibus ab antiquissimis inde temporibus omina capi solebant, pauci demonstrabunt loci e vetere testamento collecti. Genes. II., 23

וַיֹּאמֶר הָאָדָם זֹאת הַפַּעַם עֶצֶם מֵעֲצָמַי וּבָשָׂר מִבְּשָׂרִי
לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקֳחָה זֹּאת׃

Genes. III., 20

וַיִּקְרָא הָאָדָם שֵׁם אִשְׁתּוֹ חַוָּה כִּי הִוא הָיְתָה אֵם
כָּל — חָי׃

ibid. XXII. 14.

וַיִּקְרָא אַבְרָהָם שֵׁם ־ הַמָּקוֹם הַהוּא (i. e. שֵׁם ־
הַמֹּרִיָּה) יְהוָה יִרְאֶה אֲשֶׁר יֵאָמֵר הַיּוֹם בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה׃

Exod. II. 10.

וַתִּקְרָא שְׁמוֹ מֹשֶׁה וַתֹּאמֶר כִּי מִן ־ הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ׃

cf. de רָמַת לְחִי Iudic. XV, 17, de עֵין הַקּוֹרֵא ibid. v. 19.

Exempla haec Hebraea elegimus, non quod Graecis aut Latinis indigeremus, sed ut communem et aliis fuisse hanc ad veriloquia propensitatem indicaremus. Subsequuntur iam, quo facilius intelligatur, quales nobis paullo ante loci in animo oculisque versati sint, exempla aliquot Graeca, illis non multum dissimilia.

Il. VI. 402. cf. XXII. 506

τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
Ἀστυάνακτ'· οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.

cf. Il. VIII. 136, IX. 561. XIX. 91.

Od. XVIII. 5. *Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες,*
οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιών, ὅτε πού τις ἀνώγοι.

Od. XIX. 406. Autolycus rogatus, ut filiae puero nomen imponat, Anticleam et Laërten ita compellat:

γαμβρὸς ἐμὸς θυγάτηρ τε, τίθεσθ' ὄνομ', ὅ, ττι κεν εἴπω
πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω,
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν, ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν·
τῷ δ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον.

Hesiod. Theog. 144.

[Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.]

Ibid. 194. *τὴν δ' Ἀφροδίτην*
κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνέρες, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ
θρέφθη, ἀτὰρ Κυθέρειαν, ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις.
[Κυπρογένειαν δ', ὅτι γέντο πολυκλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ,
ἠδὲ φιλομμηδέα, ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη.]

Ibid. 208. cf. Schol. ad h. l. et Hesych. s. v. *Τιτᾶνες*. Ibid. 280.

Opp. 69. *ἐν δ' ἄρα φωνήν*
θῆκε θεῶν κῆρυξ, ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα
Πανδώρην, ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.

Pind. Ol. VI., 53. *ἀλλ' εν*
κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ (Ἴαμος)
ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρὸν
σῶμα· τὸ καὶ κατεφάμιξεν καλεῖσθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι μάτηρ

τοῦτ᾽ ὄνυμ᾽ ἀθάνατον. cf. Dissen. ad Pyth. XI., 6. XII, 23.

Isthm. V., 49. *ταῦτ᾽ ἄρα οἱ φαμένῳ πέμψεν θεὸς*
ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν αἰετόν· ἁδεῖα δ᾽ ἔνδον νιν ἔκνιξεν χάρις,
εἶπέν τε φωνήσαις ἅτε μάντις ἀνήρ.
Ἔσσεταί τοι παῖς ὃν αἰτεῖς ὦ Τελαμών.
καί νιν ὄρνιχος φανέντος κέκλετ᾽ ἐπώνυμον εὐρυβίαν Αἴαντα.

Aesch. Agamemn. 681.

τίς ποτ᾽ ὠνόμαζεν ὧδ᾽
ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως,
μή τις, ὅντιν᾽ οὐχ ὁρῶμεν,
προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου
γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων,
τὰν δορίγαμβρον
ἀμφινεικῆ θ᾽ Ἑλέναν;
ἐπεὶ πρεπόντως
ἑλένας, ἕλανδρος, ἑλέπτολις
ἐκ τῶν ἁβροπήνων
προκαλυμμάτων ἔπλευσε.

Sed longum est, hos locos omnes transscribere. Alia exempla si quis requirit, adeat Aesch. Prometh. 85 Eumen. 8 Sept. adv. Theb. 658. Soph. Ai. 425 ibique Hermannum. Oed. Tyr. 1036. Oed. Col. 1326. Wex ad Antig. 111. Eurip. Phoen. 27 ibique Valckenarium. 645 et Schol. ad Phoen. 1494 ed. Matth. Iphig. Taur. 31 ed. Seidler. ibid. 1420 Troad. 999. Elmsl. ad Bacch. 508. Meinek. ad Euphorion. p. 128.

Quodsi poëtas, in quibus verborum derivationes nonnulli ut pueriles, ridiculas, frigidas reprehendunt, tam proclives videmus ad vocabulorum origines expiscandas: quid tandem exspectandum est ab historicis et geographis, quibus saepe de industria in caussas nominum est inquirendum? Et profecto apud eos tanta invenitur originationum copia, ut paucas hoc loco exempli caussa attulisse satis sit. Herod. I. 173. V, 68. 92. VI, 47. VII, 11. 60. 61. 62. 73. 74. 75. 91. 92. 94. Plut. vit. Demost. IV. ed. Frotscher. XIX. vita Cic. I. XVII. Herodian I, 11. 12. 16. Pausan. I, 2, 5. I, 3. I, 15, 4.

Alias Graecorum classicorum observationes, quae vel ad dialectorum doctrinam pertinent, ut Od. XIX, 172 Aesch. Choeph. 561. Herod. I, 57. 58. 142. 171. 172. Plat. Phaed. p. 62 a., vel ad potestatem singularum vocum enucleandam, ut Herod. V. 9 Plat. Min. p. 298. 299 ed. Tauchn., vel ad quascunque denique res grammaticas, ut Herod. I, 139. 148. 173. V. 58—61. Plat. Alcib. II. p. 52. 53. 63., quoniam posterius de sola etymologia dicere constituimus, non nescientes praetermisimus. Praeterea quamquam nemo est, qui exempla supra coacervata per transennam modo adspexerit, quin odoretur compluria esse in iis, quae accuratioris indigeant disputationis: tamen omnem aut assensionem aut refutationem sustinendam putavimus, ut aliquando eo, quo iam dudum tendit oratio, perveniremus.

Nimirum quod de Graecis modo vidimus, etiam apud eos scriptores, qui se grammaticos non profiteantur, passim legi animadversiones grammaticas, idem nunc et Romanis est attribuen-

dum. Cuius rei documenta, quum ab aliis peti possunt scriptoribus (cf. Virg. Aen. I, 367 V. 116 seq. 568. 708. Liv. II. 5. 13. VIII. 14. 15. Sall. Jug. XVIII. LXXVIII. Tacit. Ann. II. 56. 60. Justin II. 4. Plin. h. n. II. 4. II. 38. Juven. Sat. III. 70.), tum longe plurima subministrantur a Cicerone, qui quidem in rebus grammaticis perstringendis tam multus est, ut dissertationis modum nimium quantum excederemus, si eius praecepta enumerare vellemus omnia. Ex quibus, quum in septem haud incommode distribuantur classes [1], nos eam hac disputatione tractavimus partem, quae est de Cicerone etymologo, et in hac ipsa brevitatis studiosi ideoque in orationis perpetuitate parum curiosi.

1) Ne cui dubium sit, quas intelligamus classes, earum inscriptiones indicare non alienum videtur. Sunt autem haece:

I. De lingua generatim dicta.
II. De lingua Latina.
III. De lingua Latina cum Graeco sermone collata
IV. De vocabulorum notatione.
V. De vocum similitudinibus et differentiis.
VI. De Cicerone novorum verborum fabricatore.
VII. De Ciceronis praeceptis ad propriam grammaticam spectantibus.

De Cicerone etymologo.

Etymologia est quasi quaedam linguae metaphysica. Quemadmodum enim methaphysica res, quae versantur in experientia, excutit easque, ut comprehensibiles fiant, enodat: ita etymologia ad veram linguae intelligentiam viam et sternit et munit. De vario eius doctrinae usu non necesse habeo dicere; patet enim latissime atque est necessarius, quotiescunque interpretatione res, de qua quaeritur, eget. Quo factum est, ut originationis ignoratio vel reipublicae maximam intulerit calamitatem. cf. Menzel Gesch. unsrer Zeit I. p. 150. III. p. 493.

At ne a nostra disputatione evagemur, post Sophistas Stoici studiosissime exquirebant, unde

verba essent ducta. de offic. I, 7, 23. Probabatur etiam Peripateticis et Academicis verborum explicatio, id est, qua de caussa essent ita nominata, quam etymologiam appellabant. Acad. I, 8, 32. Quorum auctoritate ductus et Cicero saepe ex vi nominis argumentum elicere solebat. Sed quam Graeci *ἐτυμολογίαν* vocabant, id est verbum ex verbo veriloquium, ille novitatem verbi non satis apti fugiens, notationem appellabat, quia essent verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristotelem *σύμβολον* appellasse, quod Latine esset nota. Topic. VIII, 35. cf. Quintil. I, 6. 28.

Quod quum ita sit, nobis ostendendum est, quantum Cicero in ea disciplina profecerit. Qua quidem in re, ut aequitatem observemus, tenendum est, Tullium non usquequaque proprio Marte pugnasse, ubi ita videtur, sed plerumque Varronis signa esse secutum. Inveniemus autem, eum non semel in graves esse lapsum errores; verum nonnunquam vidisse, interdum certe odoratum esse. Nam eorum ipsorum etymorum, quae recte suspicatus videtur, scientiae laus plerumque Ciceroni est abiudicanda. *Ὀρθὴν δόξαν*, ut Platonice loquar, hic illic assecutus est, *ἐπιστήμην* attigit nusquam. Neque enim habet in sua doctrina stabile quidquam sive firmum, in quo quasi ancoram iaciat, sed plane turbine quodam circumagitur. Licet originem verborum aut patriam aut peregrinam esse agnosceret, tamen ne in patrio quidem sermone certas derivandarum et componendarum vocum regulas habuit perspectas.

His profligatis nunc proficisci ad singula

exempla pergemus. Attamen ne vera cum falsis, cum utrisque dubia commisceamus, hunc servabimus commentationis tenorem, ut primo eruantur etyma, quae in aprico sunt; subsequantur deinceps prorsus reiectanea; in postremo collocentur dubia vel probabilia vel improbabilia vel inextricabilia. Est enim hic campus tam lubricus, ut non sine iure Plautinum illud nostrum faciamus: Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quum etiam cavet. Etiam quum cavisse ratus, saepe is cautor captus est.

§. 1. Ex veris originationibus vulgatas ac de triviis arreptas brevibus signis notabo: uberius non disseram nisi de iis, quae vel paullo sunt obscuriores, vel ab aliis perperam intellectae, vel qualemcunque ob caussam disceptationem desiderant.

Academici ab Academia. Acad. I, 4, 17. *τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἑκαδήμου, καθὰ καὶ Εὔπολις ἐν ἀστρατεύτοις φησίν· ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἑκαδήμου θεοῦ· πρότερον γὰρ διὰ τοῦ ε Ἑκαδημία ἐκαλεῖτο.* Diog. Laert. III, 7.

Aequor ab aequo. Acad. II. frgm. ap. Non. s. v. p. 1252 ed. Ald. cf. Jo. Ger. Vossii Etym. ling. Lat. s. v.

Africanus ab Africa. Somn. Scip. II. cf. Horat. Od. IV. 8, 18.

Aius, quia ait, eo nomine appellatus est. de div. II, 32, 69. cf. Varron. in libris divinarum ap. Gell. XVI, 17. Liv. V, 32 et 50. Juven. Sat. XI, 111.

Amentia ex a et meus fictum. Tusc. III, 5, 10.

Amicitia ab amando. de fin. II, 24, 78. de nat. deor. I, 44, 122. Lael. VIII.

Assidui duplex legitur apud Ciceronem etymon, ab assidendo unum, alterum ab asse dando. de petit. consul. XI, 40: „Jam assiduitatis nullum est praeceptum; verbumque ipsum docet, quae res sit. Prodest vehementer nusquam deesse“. Haec enim est propria assidui significatio cf. pro Rosc. Amerin. VII, 18. XVIII, 51. XXIV, 67. Non autem raro fit, ut a verbis sive primae sive secundae sive tertiae coniugationis fingantur adiectiva terminatione *uus*: riguus, irriguus, vacuus; continuus, nocuus, innocuus, promiscuus; ambiguus, caeduus, contiguus (cf. Fest. s. v. tagit), dividuus, ingenuus, perpetuus, proteruus, relicuus cf. Doederlein Lat. Etymologien und Synonyme III. p. 40. Insuper duo sunt adiectiva ita finientia ab adverbiis formata: longinquus (longe — hinc — uus) propinquus (prope — hinc — uus). Sed hoc prima specie intelligitur. Videamus nunc de altero veriloquio. „Quum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando Topic. II, 10. cf. Boëth. comment. in Cic. Topic. I. p. 291 ed. Orell. Gell. XVI, 10. Fest. s. v. Est illa lex inter decemvirales de iure publico: Asiduo vindex asiduos esto: proletario, quoi queivis volet, vindex estod. Sic enim Fulvius. Ursinus in notis ad Antonium Augustinum de legibus et senatusconsultis legem tum pleniore, tum

antiquiore stilo exaravit. De significatione assidui non dubitamus. Refertur eius origo ad Servium Tullium. de rep. II, 22. 40. Quin servata est etiam a posterioribus. de senect. XVI. 56. Et Drakenborchius quidem in dictatis ad l. l. Ciceronis etymologiam probat. Suffragatur etiam Niebuhrius. Roem. Gesch. I. p. 502 ed. tert. Et recte quidem. Ut enim ab aede tuenda aedituus, ita assiduus dictus est ab asse duendo. Quippe dandi verbum antiquitus duere sonuisse, et Graeca stirps *ΔΟΩ* videtur testificari, et coniunctivus ille praesentis *duis*, *duit*, *duint*, quem qui Plautum legit, non ignorat. cf. Struve über die lat. Declin. u. Coniug. p. 202.

Bambalio a *βαμβαλός*. Philipp. III. 6, 16. Factum est hoc cognomen ex analogia ampliativorum, graece syllabâ *ων*: *γάστρων, γνίφων, κεφάλων, λυμεών, μαλακίων, μαλθών, πέδων, στιγών*; latine terminatione *o*: Capito, Cicero, Fronto, ganeo, Labeo. Naso.

Concors ex con et cor compositum. Tusc. I, 9, 18.

Confidens a confidendo. Tusc. III, 7, 14.

Convivium a convivendo. de sen. XIII, 45 ad fam. IX, 24, 3.

Corculum a corde deminutum. Tusc. I, 9, 18 cf. Gryczewski de substantivis Latinorum deminutivis p. 6.

Cordatus a corde Tusc. I. 9, 18. De formationis analogia v. Schulz ausführl. Lat. Gr. 543, 25.

Dementia cf. v. amentia.

Denicales feriae a nece. Legg. II., 22, 35 cf. Goerenz ad h. l. De adiectivis in alis exeuntibus v. Schulz §. 45, 31. Nex vero et necare et denecare referenda sunt ad *ΝΕΚΩ*, unde νέκυς et νέκες cf. Fest. s. v.

Divinatio a divinando, divinare a divino. de div. I., 1. 1.

Eloquens ab eloquendo. Orat. XIX, 161.

Excors ab ex et cor compositum. Tusc. I, 9, 18.

Frugalitas a fruge Tusc. III. 8, 18.

Humare ab humo Tusc. I, 16, 36 cf. Varro V. p. 33 ed Speng.

Hyades a verbo ὕειν de nat. deor. II., 43, 111. cf. Plin. H. N. II., 39. Gell. XIII. 9.

Namque nomina in ας desinentia non solum paronyma sunt, sed etiam a verbis declinantur. cf. Lob. de motione adiectivorum minus mobilium p. 1.

Iners ex in et ars coaluit. Fin. II, 34. 115 cf. Lucil. Sat. IX. ap. Serv. ad Virg. Ge. IV., 158.

Invidiae nomen ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippa: Quisnam florem liberûm invidit meûm? male Latine videtur; sed praeclare Attius; ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori. Nos consuetudine prohibemur: poëta ius suum tenuit et dixit audacius. Tusc. III, 9, 20. Confirmatur haec interpretatio Graeci sermonis comparatione. Quemadmodum enim ἐπιβλέπειν τινά

significat invidere aliquem, ita ἐπιβλέπειν τινί sive ἐποφθαλμιᾶν τινι invidere alicui. cf. Erfurdt. ad Soph. Oed. Reg. 1526 ed. Herm.

Iucundus a iuvando. Fin. II, 4, 14. Adiectiva iu cundus finientia ita finguntur, ut terminatio cundus aut apponatur verborum stirpi, nulla interveniente vocali, aut adglutinetur litera *i*. Illud fieri solet, ubi stirps in vocalem cadit: *ΦΑ-Ω* facundus, FE-O (unde femina, fenus, fetus) fecundus; hoc, ubi verbi radix finitur consona rub-eo rubicundus, iuv-o iuvicundus. Jam quum litera *v* media inter duas vocales paullo debilior fuisse videatur, saepissime eiecta est; qua cum eiectione coniuncta esse solebat duarum vocalium, quarum una alteram excipiebat, contractio cf. Schneider ausführl. Gr. der lat. Spr. I. p. 361. Hoc in verbo iuvandi non praeter consuetudinem evenisse, Catullianum illud *iuerint* docet, in fine pentametri collocatum LXVI. 18. Juerint autem ex legibus contractionis concrescere potuit in iurint. Namque *ue* saepius contrahitur in *u*, velut in ablativo singulari quartae declinationis et in nominativo plurali *ues* in *us* cf. Schneid. III. p. 326 et Struv. p. 37. Aeque frequens est vocalium *ui* in *u* contractio; ut uvidas fit udus, sic iuvicundus iucundus.

Lex a legendo. Arbitrantur, prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere, eamque rem illi Graeco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam; ego nostro a legendo; nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus; et proprium tamen

utrumque legis est. Legg. I, 6, 19. II, 5, 11. *Νόμος* quin a verbo *νέμειν* originem petierit, nemo est, qui dubitet; sed Latinum nomen alii aliter expedierunt. cf. Ernest. clav. ind. legg. ab init. Nihilominus ego a Cicerone standum censeo, praeterquam quod de legendi potestate iudicium retineo. Huic enim verbo non omnes eandem tribuerunt significationem cf. Voss. Etym. s. v. At neque eligendi vis satis apta videtur, neque legendi. Quippe nomina, quae ut lex a legendo sunt derivata, habere fere solent significatum activum. Rex, qui regit, dux, artifex, iudex, foenisex; lux, quae lucet, nex, pax, vox. Hinc exspectaveris, et legem denotare aliquid, quod legit. Fortasse igitur antiquis temporibus legere, quum ab origine esset propius, concinuit cum Graeco *λέγειν*, ita ut idem fuerit atque edicere. Nam a Graeco *λέγειν*, quum cetera omnia habeant analogiam Latinam, huius nominis vim cum Goerenzio repetere nolim.

Locuples, qui locorum est plenus. de rep. II, 9, 16. cf. Gell. X., 5. Fest. s. v. Plin. H. N. XVIII, 3. Fronto de different. vocab. p. 279 ed. Niebuhr. Aliquantulum similitudinis habent nomina interpres, deses Tacit hist. II, 21. praeses, reses Virg. Aen. I, 722, quae, si terminationis habeatur ratio, ex inter et parere, ex de prae, re et sedere coniugata sunt, sicut ex locus et plere, unde depleo, impleo, repleo locuples. Nam plentur antiqui etiam sine praepositionibus dicebant. Fest. s. v. Est vero et altera ratio, ut videtur, nihilo deterior, qua vocabuli ples forma et notio facile possit enucleari. Legimus

enim apud Homerum *πλέες* Il. λ', 395 et *πλέας* Il. β', 129, quod Buttmannus quidem I. p. 274 syncopatum censet ex *πολέες* et *πολέας*. Sed si epici comparativi *ἀρείων*, *χερείων* deducti videantur a positivis *ἄρης* et *χέρης*, cur *πλείων* minus a positivo *πλής*? quum praesertim eundem nominativum poscere sibi videantur formae *πλέες*, et *πλέας*. Progressis igitur, quo coniectura ducit, non amplius dubia nobis erit locu*pletis* origo Graecanica, nisi forte illud scrupulum iniiciat, quod Latinum locuples flectitur locupletis, Graecum *πλής* autem *πλεός*. Etenim nominis *σής*, *σεός* et *σητός* comparatio vereor, ne a nostro adiectivo sit aliena, quod et aliis dubitationibus esse obnoxium non ignoro. v. Lob. de gr. monosyll. p. 12.

Loquus a loquendo. cf. v. Aius.

Meridiem cur non medidiem? credo, quod erat insuavius Orat. XXVII, 158. Sed *d* antiqui, non *r* in hoc dicebant, ut Praeneste incisum in solario vidit Varro. L. L. VI, 2 p. 186 cf. Schneid. I. p. 258. Insuavius autem propter alternitatem v. Lob. Proleg. ad ind. lect. 1831., quae duplici vitatur ratione, aut permutatione aut expulsione literarum. Illam modo cognovimus exemplo, hac nihil est usitatius. Cur enim sententia non sentientia, cur imitari, non mimitari *μιμεῖσθαι*, quum mimus *μῖμος* dicatur, cur *ὑβριστότερος*, non *ὑβριστίστερος*? Videlicet *διὰ τὴν κακοφωνίαν τῆς ἐπαλληλίας* similium syllabarum. Eadem est caussa, cur ab adiectivis, quorum stirps exit in *it*, *ut* substantiva terminatione *itia* formata non sine mutatione usurpentur.

Quemadmodum enim duritia, lentitia, alia cf. Schulz §. 37, 18 in omnium ore sunt: ita divititiae, argutitiae, astutitia, hirsutitia, versutitia dicenda erant. Nemo autem aliter, quam divitiae, argutiae, astutia, hirsutia, versutia. Porro quis unquam dubitavit dicere alt-itudo, lat-itudo, similia cf. Schulz §. 37, 26. At arid-itudo, consuet-itudo, mansuet-itudo, calid-itudo ne barbari quidem enuntiarunt. Viden' igitur quid duriusculi senserit Cicero, quum beatitudinis inauditam vocem fabricaretur? de N. D. I, 34, 95.

Modestiae in verbo modus inest. Off. I, 40, 142. cf. Schulz §. 43. 28.

Moneta a monendo. de div. I, 46, 101. II, 32, 69 cf. Isidor. XVI., 17 p. 398 ed. Basil. Voss. s. v.

Morosus a more. Bene nostri, quum omnia essent in moribus vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iratos solos morosos nominaverunt. Tusc. IV, 24, 54. Ecce etymologiam verissimam; rationem plane perversam. Morem enim esse in nomine morosi, neminem fallit. cf. Schulz §. 43, 24. Equidem, spreta Doederlinii sententia III. p. 324, ad Donati me confero auctoritatem, qui ad Ter. Hecyr. IV, 11 ἰδιοτρόπους, qui sui quisque sint moris, intelligit.

Oracula ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his oratio. Topic. XX, 77. cf. Schulz §. 37. 10.

Ostentum ab ostendendo. Portentorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant. Quia enim

ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. de div. I, 42, 93. Ostendere autem est obstendere, quod intelligitur ex priscis vocabulis, quae Festus servavit. Nam obstinet dicebant antiqui, quod nunc ostendit, ut in veteribus carminibus: „Sed iam de coelo candens aurora obstinet suum patrem" et obstrudere et obstrudulentum. cf. Fest. s. h. v. Deinde vero litera *b* est elisa, quemadmodum in verbis: aspello, asporto. Schneid. II. p. 522. suscito, suscipio, sustineo. Schneid. II. p. 607 et oscines Doederl. I. p. 13.

Pecuniosus a pecunia magna; pecunia a pecu. de rep. II, 9, 16. cf. Varro L. L. V. p. 95. Fronto de diff. voc. p. 279. A pecu dictam esse pecuniam, ad unum omnes consentiunt; sed quae hujus originis fuerit caussa, parum convenit. Alii enim putant, pecuniam esse ita appellatam propterea quod ab initio aes fuerit pecoris nota signatum, alii, quia pecudum corio primi numi facti sint. Vide, quos Voss. s. v. utriusque opinionis citat auctores. Et illi quidem habent, quod in comparationem vocent, Graecorum proverbium: βοῦς ἐπὶ γλώσσης cf. Aesch. Agam. 36. Theogn. 815. Ego vero facio cum Cicerone, quod tum res erat in pecore. cf. Odyss. XIV, 96. seqq. Qua de caussa et ab Homero pecuniosi vocantur πολυβοῦται, πολύῤῥηνες, πολύμηλοι. Pecuniae enim nomen iam, antequam aes signari coeptum est, videtur increbruisse ac deinceps ad numos transiisse, quum antiquitus suum cuiusque rei pretium ex bobus vel aliis pecudibus aestimaretur. cf. Il. VI, 236, XXIII, 700.

Ceterum utrum Scaliger (ad Fest. s. v.) pecuniam recte pro pecuina (re) dictam putaverit, an minus, in medio relinquimus.

Penicillus a pene. Caudam antiqui penem vocabant: ex quo est propter similitudinem penicillus (penis peniculus penicillus cf. Gryczewski p. 9). At hodie penis est in obscoenis. ad Fam. IX, 22, 2.: Penem vero a pendendo vocatum esse facilius crediderim, cf. Fest. s. v. Doederl. IV. p. 149, quam a Graeco πέος. Quamquam enim sanus sine controversia ad σάος est referendum, tamen penis non magis cum πέος coniunctum videtur, quam plenus cum πλέος. cf. Schneid. I. p. 318.

Peripatetici a verbo περιπατεῖν. Acad. I, 4, 17.

Petulantia a petendo. de rep. IV, 6. cf. Non. p. 1237. Doederl. III., p. 39.

Philosophia, quae φιλεῖ σοφίαν. Legg. I, 2, 58.

Portentum a portendendo. cf. v. ostentum.

Portunus ut a portu, sic Neptunus a nando de N. D. II, 26. 66. Comprobat hic locus, quod non solum optimi codices usquequaque confirmant, sed etiam inscriptiones et calendaria vestusta, veteres Portunum, non Portumnum dixisse. cf. Oudend. ad Apul. Met. IV, p. 307. Quid enim? num Cicero Portunum cum Neptuno composuisset, nisi eandem haberet terminationem? Id enim vix quisquam sibi persuadeat, Ciceronem scripsisse Neptumnum, quod legitur apud Gruter. p. 460. nr. 3. Itaque nihil est, cur Portuni nomen conferamus cum Clitumno, Picumno, Pilumno, Vertumno. Miror tamen,

quod neque Antonius Augustinus, neque Fulvius Ursinus, neque ipse Josephus Scaliger apud Fest. s. v. lectionis discrepantiam notarunt et in contextu verborum scripserunt: Portumnus, qui et Palaemon alio nomine dicitur, inter deos, qui praesunt mari, a Romanis colebatur; quum Oudendorp. l. l. fateatur, se et in Festi codicibus vidisse Portunum. Ceterum ex Festi loco comperimus, quod plurimum facit ad nostram originationem stabiliendam, Portunum fuisse deum marinum. Saepius etiam nominatur medius inter numina marina. Apul. Met. IV. p. 307. Et vulgo quidem cum Palaemone confunditur, nonnunquam cum ipso Neptuno cf. Apul. l. l. Alias autem perspicue ab eo distinguitur. Apul. Apol. p. 468. Neque abhorret, quod Fest. s. v. claudere testatur: Claudere et clavis ex Graeco descendit, cuius rei tutelam penes Portumnum esse putabant, qui clavim manu tenere fingebatur et deus putabatur esse portarum; siquidem recte coniicimus, scribam commemoratione clavis et claudendi deceptum pro portuum invexisse portarum. Nam in clavi dei marini non offendimus, qui portus quasi aperiat et claudat. Quam ob caussam in Ciceronis interpretatione et Varronis L. L. IV. p. 201. libenter acquiescimus.

Praepositum a praeponendo. Fin. IV, 26, 73.

Privilegium ex privus et lex iunctum. In privos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium: quo quid est iniustius? Legg. III. 19, 44. Recte Goerenzius recepit Scaligeri coniecturam, privos pro privatos proponentis, licet hoc codicum auctoritate satis sit munitum. Fe-

stus enim s. h. v. Privos, inquit, privasque antiqui dicebant pro singulis. ob quam caussam et privata dicuntur, quae uniuscuiusque sint. hinc et privilegium et privatus. cf. Gell. X. 20. Isidor. V. p. 101.

Procacitas a procando i. e. poscendo nominata est. de rep. IV. 6. cf. Non. p. 1237. A procando est etiam procus. Fest. s. v. et reciprocus. Varro L. L. VII. p. 358.

Prodigium a prodicendo. de div. I. 42. 93. Fest. s. v: Prodigia, quod praedicunt futura, permutatione *g* literae. nam quae nunc *c* appellatur, ab antiquis *g* vocabatur. Quod quid sibi velit, doctissime, ut solet, enodat Schneid. I. p. 231 seqq. Neque vero Nonius audiendus est, qui prodigium ducit a porro agendo, neque qui ei obtemperant Vossius s. v. et Dacierius ad Festi l. c. Quin etiam contra Schneiderum, quamvis invito, mihi est pugnandum, qui Tullii notationem admodum dubiam nuncupat. I. p. 240. Mihi certe nihil videtur evidentius; nam quod *i* non est productum, id non tanti est aestimandum. Ut enim taceam de aliis correptionibus, ex dĭco (*ΔΕΙΚΩ, δείκνυμι*) oritur dĭcax dĭgitus, indĭcium indĭgetare, iudĭcium et ipsum iudĭcare. Quid minus prodĭgium?

Prudens idem, qui providens. de div. I, 49, 111. cf. Schneid. I. p. 361.

Prudentia ex providentia. Legg. I, 23. 60. de N. D. II. 22. 58. de rep. VI. 1. 1.

Pullarius a pullo. de div. II. 34. 72. cf. Schulz 43. 13.

Sagax a sagiendo. de div. I. 31. 65. cf. Fest.

s. v. saga et praesagire, ut a pugnando pugnax, tenax a tenendo, sequax a sequendo, salax a saliendo. cf. Schulz §. 43. 42.

Seditio ab eo, quod est seorsum ire. de rep. VI. 1. 3. cf. Serv. ad Aen. I. 148. Schneid. II. 601.

Senator et senatus a sene. de sen. XVI. 56 cf. Fest. s. v. de Sen. VI. 19. Flor. I. 1. 15 et Voss. s. v.

Sorites ab eo, quod efficit *σωρόν*. Acad. II. 16. 49. et 29. 92.

Torquatus a torque cognomen sibi induit. Fin. II. 22. 73. Tusc. IV. 22. 41.

Vecors ex ve et cor compositum. Tusc I. 9. 18. cf. Schneid. II. p. 611.

Vesta eadem, quae *Ἑστία*. de N. D. II. 27. 67. Legg. II. 12. 29.

Viator a via. A villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes: ex quo, qui eos arcessebant viatores nominati sunt. de sen. XVI. 56. N mirum quod frequens erat eorum ab agris ad urbem via. Fest. s. v. Viator est a via, ut ab alea aleator. cf. Schulz § 37. 6. In hoc igitur nihil est, cur cum Vossio s. v. via. ad absoletum verbum viare confugiamus.

Virtus a viro. Tusc. II. 18. 43. cf. Schulz §. 37. 29.

§. 2. Ab his igitur certis exploratisque vocabulorum notationibus progredimur nunc ad eas, quae ab omni veritatis specie nobis videntur orbatae; in quibus haud raro facilius erit, erroris

indicia monstrare, quam pro falsis fucatisque vera atque sincera substituere.

Animum quum Cicero ab anima dictum censet Tusc. I. 9. 19. non propius veritati accedit, quam si ab animo animam repeteret. Neque enim alterum descendit ab altero, sed utrumque potius a communi illa radicula ἄω exortum est, quae sexcenta per utramque linguam propagavit vocabula.

Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. de N. D. II. 27. 69. Quae in hanc opinionem dicenda sunt, adeo in oculos incurrunt, nemo ut admonitore indigeat. Quid alii statuerint quidque sibi placeat, prolixe exponit Voss. s. v. Janus. Sed quod ad hoc Dianae ceteraque deorum nomina pertinet, quorum origines in libris de natura deorum exquiruntur, meminisse oportet, M. Tullium non pro se esse locutum, sed disputantem induxisse Balbum, cuius varias opinationes ipse deinceps per Cottam dissolvit. de N. D. III. 24. 62: In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Quam periculosa consuetudo! Rursum vero ex Cottae verbis non consequitur, Ciceronem eius fuisse sententiae. Imo de tota hac quaestione dicit de N. D. III. 40. 94: Velleio Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videbatur esse propensior. Ideo non iniuste facimus, Ciceroni has etymologias imputantes.

Dictator quidem ab eo appellatur, quod dicitur: sed in nostris libris video eum magistrum populi appellari. de rep. I. 40. 63 cf. Legg. III. 3. 9. Fin. III. 22. 75. Dicit dictatorem consul,

qui nocte silentio nomen dictatoris nuncupat. Liv. VIII. 23 IX. 38 vel populus et senatus per consulem Liv. XXXVII. 5. VII. 3. Facere et creare dictatorem generatim dicitur, ubi nulla consulis dicentis fit commemoratio. Liv. VIII. 18. II. 18. 30. IV. 31. VII. 28. VIII. 38. 40. IX. 7. 26. 34. XXV. 2. XXVII. 5. Quamquam vero a consule dici debebat dictator Varro L. L. V. 14. p. 86. VI. 7. p. 239: tamen qua ratione a dicendo repererit nomen, non perspicitur. Multo est verisimilius, hoc nomen esse referendum ad supinum verbi dictare. Nam ex supinis verborum, quacunque ea flectuntur coniugatione, terminatione *or* formari solent substantiva, quae indicant hominem, in quo est verbi actio quasi concreta. v. Schulz §. 37. 6. Sic ergo dictatorem existimo designare eum, qui dictat.

Fides, quia fit, quod dicitur. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius: tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem. Off. I. 7. 23. cf. de rep. IV. ap. Non. p. 1251. ad. Fam. XVI. 10. 2. Equidem neque Ciceronem sequor, neque accedo ad Salmasii opinionem, qui fidem dictam putat ex πίστις, quum Aeoles dixerint πίττις. Verum hoc sit licet. cf. Gregor Cor. p. 454. ed Schaef. Sed fides est altius repetenda a ΠΙΘΩ πείθω, unde et πίστις. v. Etym. M. s. v. Ex hac cognatione apparet, qui factum sit, ut ἀπιστεῖν identidem in locum succedat verbi ἀπειθεῖν. Soph. Antig. 379. 652. utque τὴν πειθώ nonnunquam etiam πίστιν dicant.

indicia monstrare, quam pro falsis fucatisque vera atque sincera substituere.

Animum quum Cicero ab anima dictum censet Tusc. I. 9. 19. non propius veritati accedit, quam si ab animo animam repeteret. Neque enim alterum descendit ab altero, sed utrumque potius a communi illa radicula ἄω exortum est, quae sexcenta per utramque linguam propagavit vocabula.

Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. de N. D. II. 27. 69. Quae in hanc opinionem dicenda sunt, adeo in oculos incurrunt, nemo ut admonitore indigeat. Quid alii statuerint quidque sibi placeat, prolixe exponit Voss. s. v. Janus. Sed quod ad hoc Dianae ceteraque deorum nomina pertinet, quorum origines in libris de natura deorum exquiruntur, meminisse oportet, M. Tullium non pro se esse locutum, sed disputantem induxisse Balbum, cuius varias opinationes ipse deinceps per Cottam dissolvit. de N. D. III. 24. 62: In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Quam periculosa consuetudo! Rursum vero ex Cottae verbis non consequitur, Ciceronem eius fuisse sententiae. Imo de tota hac quaestione dicit de N. D. III. 40. 94: Velleio Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videbatur esse propensior. Ideo non iniuste facimus, Ciceroni has etymologias imputantes.

Dictator quidem ab eo appellatur, quod dicitur: sed in nostris libris video eum magistrum populi appellari. de rep. I. 40. 63 cf. Legg. III. 3. 9. Fin. III. 22. 75. Dicit dictatorem consul,

qui nocte silentio nomen dictatoris nuncupat. Liv. VIII. 23 IX. 38 vel populus et senatus per consulem Liv. XXXVII. 5. VII. 3. Facere et creare dictatorem generatim dicitur, ubi nulla consulis dicentis fit commemoratio. Liv. VIII. 18. II. 18. 30. IV. 31. VII. 28. VIII. 38. 40. IX. 7. 26. 34. XXV. 2. XXVII. 5. Quamquam vero a consule dici debebat dictator Varro L. L. V. 14. p. 86. VI. 7. p. 239: tamen qua ratione a dicendo repererit nomen, non perspicitur. Multo est verisimilius, hoc nomen esse referendum ad supinum verbi dictare. Nam ex supinis verborum, quacunque ea flectuntur coniugatione, terminatione *or* formari solent substantiva, quae indicant hominem, in quo est verbi actio quasi concreta. v. Schulz §. 37. 6. Sic ergo dictatorem existimo designare eum, qui dictat.

Fides, quia fit, quod dicitur. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius: tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem. Off. I. 7. 23. cf. de rep. IV. ap. Non. p. 1251. ad. Fam. XVI. 10. 2. Equidem neque Ciceronem sequor, neque accedo ad Salmasii opinionem, qui fidem dictam putat ex *πίστις*, quum Aeoles dixerint *πίττις*. Verum hoc sit licet. cf. Gregor Cor. p. 454. ed Schaef. Sed fides est altius repetenda a *ΠΙΘΩ πείθω*, unde et *πίστις*. v. Etym. M. s. v. Ex hac cognatione apparet, qui factum sit, ut *ἀπιστεῖν* identidem in locum succedat verbi *ἀπειθεῖν*. Soph. Antig. 379. 652. utque *τὴν πειθώ* nonnunquam etiam *πίστιν* dicant.

Schol. ad Soph. Antig. 219. A verbo *πείθω* igitur primum fido propagatum est cf. Buttm. I. p. 78; inde fides, ut a tegendo teges; labes, strues, caedes, nubes.

Junonem a iuvando credo nominatam. de N. D. II. 26. 66 cf. Varro L. L. V. p. 75. Videtur potius appellata Juno ex antiquo nomine *Διώνη*, quo colebatur Dodonae una cum Jove *Ἥρα*. Demosth. c. Mid. ab init. cf. Buttm. in Excurs. *Διώνη* transiit in Juno, ut *Διαβοληνός* in Jabolenus Schneid. I. p. 388 Cui enodationi qui fidem denegaverit, ei aliud fortasse etymon magis arridebit, ab Hefftero patefactum. cf. Allg. Schulzeit II. Juni 1833. Ille enim argumentis non infirmis ad probandum persuadere nobis conatur, sicuti *Ἥρα* nomen ceperit a verbo *ἈΡΩ*, ita Junonem a iungendo esse nominatam.

Mavors dictus est, qui magna verteret. de N. D. II, 26, 66. Nugatoriam hanc esse originationem ratus, Nunnesius Martem a nomine *Ἄρης* dictum putavit cf. Voss. s. v. cui suffragatus est Buttm. Lexilog. I. p. 195. Atque illud quidem satis constat, in Graecis vocabulis nonnunquam *μ* ab initio vel poni vel demi: *μόσχος, ὄσχος; μέχρι, ἄχρι; μεῖραξ, εἶραξ; μονθυλεύω, ὀνθυλεύω* cf. Lob. ad Phryn. p. 356. Sed num idem observetur, quum Graeca verba in linguam Latinam transferuntur, duobus exemplis *ὀλαί*, mola, *ἄρδα* merda nondum profligatum est. Nam ala et axilla non a substantivis *μάλη* et *μασχάλη* sunt oriunda, sed Latinam habent originem a verbo agendi. Nimirum ab agendo sive agela provenire potuit, ut caudela, suadela; confugela,

loquela, luela, querela; custodela; sive agula, quemadmodum a tegendo tegula. Deinde utramque formam aut decurtare licuit agla, ala, aut ad deminutivorum similitudinem dilatare axilla. Eodem modo exorta sunt nomina palus et paxillus a pagendo Doederl. IV. p. 324 ac fortasse talus et taxillus a tagendo. Velum autem et vexillum, mala et maxilla nonnisi per *συνεκδρομήν* ad hanc regulam sunt directa. Illud enim a vehendo est, haec a mandendo, sicut sella (tamquam sedula) a sedendo; scala (scandula sive, ut Doederl. IV. p. 59. vult, scadula) a scandendo; a findendo filum, quod Perizon. ad Sanct. Min. p. 68. ad figendum recte sibi referre videtur. Verum de hac re satis diximus, vel etiam plus quam satis, nisi in animo habuissemus, de loco illo (Orat. XLV, 153) multimodis disceptato cf. Schneid. II, p. 483, quasi praetereuntes, quid nobis constituendum videretur, significare. Revertamur nunc ad Martem, quem paene obliti sumus. Commovemur igitur Varronis L. L. V. p. 78 auctoritate, ut Martem extrinsecus invectum censeamus, iniudicatum relinquentes, Mamers utrum sit vox Sabina cf. Varro l. l., an Osca cf. Fest. s. v. Id certe non praeter consuetudinem factum est, ut Mamers transmutaretur in Mavers. Quamvis enim remota sit affinitas literarum *m* et *v*, aliqua tamen agnoscenda est. Quid est enim promulgare aliud, quam provulgare? cf. Fest. s. v. Jam Mavers aut potuit contrahi in Mars (mavelit, malit), aut plenius enuntiari Mavors. Nam *e* transit in *o*: tego, toga. Antiqui quoque amplocti pro amplecti dicebant

et animadvorti pro animadverti. Prisc. I. p. 9. ed. Cervicorn. Mavers autem eo certius antiquitus audiebat Mavors, quod o literam post v Scipio Africanus primo in e vertisse traditur. Quint. I, 7, 25. Itaque et Mars et Mavors manifestum est, unde nomen ceperit, quod ex Graeco sermone profecto enucleari nequit.

Minerva, quae vel minueret vel minaretur. de N. D. II, 26, 66. Cur a minando vel a minuendo appellata sit Minerva, ego nescio augurari. Sed medius fidius facilius est multo, Ciceronis deridere veriloquium, quam aliquod statuere, quod ad veritatis similitudinem sit propensius. Etenim quod Millingen in Transactions of the Royal Society of Literature of the United Kingdom Vol. III. P. 1. docet, Minervam nuncupatam esse a cognomine *Ἀθηνᾶς*, quod fuerit *ENEPEA*: id ad nihil recasurum esse doleo, simulatque, unde novum illud et inauditum *Ἀθηνᾶς* cognomen repente prosiluerit, consideraverimus. Nempe promicat ex obscuris cuiusdam inscriptionis literis: *TPOIO IEPEA* cf. Odofr. Mueller in Ephemerid. Gottingens. 1832. Missam igitur faciamus hanc coniecturam; taceamus etiam de veterum notationibus Minervae, quas strictim adspicere licet apud Voss. s. v. Quid igitur nos? Retinemus assensionem agimusque Academicos. Quamquam haud scio an Festus praeter ceteros rem acu tetigerit. Ille enim, Menerva, inquit, dicta, quod bene monet. Recordemur autem necesse est de verbo promenervat pro monet in Saliari carmine cf. Fest. s. v. quod aliquo vin-

culo cohaeret cum *MENO*, unde memini cf. Struve p. 258. et mens.

Monstrum a monstrando. de div. I. 42. 93: Si a monstro monstrare deduxisset Cicero, rem ipsam putasset. Sed monstrum est, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum, velut monestrum. cf. Fest. s. v. Quis est, cui non in mentem veniat multitudo substantivorum ad eandem normam directorum? Ita capio capistrum, claudo (claudestrum, claudstrum) claustrum, (*d* enim ante *s* eliminatur Schneid. II. p. 453), luo (luestrum) lustrum, rado rastrum, rodo rostrum, transio (transistrum) transtrum, *φαίνω* fenestra cf. Non. p. 1241. (fenstra) festra cf. Fest. s. v. Nam *n* ante *s* levitatis caussa omittebatur. Schneid. p. 456. Eodem igitur modo moneo (monestrum) monstrum, ex quo monstrare, ut capistrare, lustrare a capistro, lustro, (mostrum) mostella, Mostellaria cf. Schneid. p. 461.

Neptunus a nando. de div. II. 26. 66: Datum est igitur Neptuno, alteri Jovis, ut volunt, fratri maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paullum primis literis immutatis. Quum Varro L. L. V. p. 77. dicat: Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes coelum, a nuptu i. e. opertione, ut antiqui, a quo nuptiae, nuptus dicitur: Vossius s. v. Nuptae opinatur, idem sensisse Ciceronem. Certissimam enim esse emendationem Justi Lipsii, qui lib. I. Saturnal. cap. 11. sic legat: Ut Portunus a portu, sic Neptunus a *nubendo*. Tralaticiam scripturam a *nando* venditatam esse ab imperito librario, qui ignorasset nu-

bendi vocem extra rem coniugii. Ingeniosa hercle coniectura Lipsioque haud indigna, imo quum Cicero saepius asseclam agat Varronis, veri ex omni parte similis. Nihilominus autem prorsus est repudianda. Primum enim codices ad unum omnes consentiunt in lectione a n a n d o. Deinde hanc integram esse ipsius Tullii scripturam, sole clarius percipitur ex his Cottae verbis: Quamquam quoniam Neptunum a n a n d o appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis u n a l i t e r a explicare, unde ductum sit. In quo quidem tu mihi magis videris n a t a r e, quam ipse Neptunus. de div. III, 24, 62. Quapropter nulla est ratio, qua Ciceronem ab istius notationis suspicione vindicemus. Cognitum enim habemus, Tullium ad Balbi opinationes inclinasse atque propendisse.

N e q u i t i a ab eo (etsi erit hoc fortasse durius, sed tentemus, lusisse putemur, si nihil sit) ab eo, quod nequidquam est in tali homine: ex quo idem nihil dicitur. (non n i h i l i cf. Tusc. III, 32, 77). Tusc. III, 8, 18. Videtur haec originatio deprompta a Varrone L. L. X. p. 589, quem laudat etiam Gellius VII. 11. Sed quo iure ex ne et quidquam, media extrita syllaba, coactum sit nequam, id neuter ostendere curavit. Neque Festus plus proficit, ex cuius sententia nequam nominatur, qui *ne* tanti quidem est, *quam* quod habetur minimi. Verum missis ambagibus properemus ad id, quod res est. Facimus igitur cum Prisciano, qui nequam derivat a verbo nequire IV. p. 41. quod quidem ad significationem optime quadrat cf. Doed. I. p. 55. Sic enim statuimus, a nequeo primo esse factum

nequus, unde nequior, nequissimus Prisc. III. p. 31 et ipsa nequitia, ut ab iusto iustitia. Deinde accusativum feminini generis accepisse potestatem adverbialem, ut clam, bifariam, obviam, perperam, promiscam. Jam quum forma nequam sermone magis tereretur, accidit, ut ceteri eiusdem adiectivi casus paullatim inveterascerent, atque ubi requirerentur, adverbio nequam exprimerentur. Quo facto nemo Latinorum dubitavit, quin a principio hic nequam, haec nequam, hoc nequam in consuetudine fuisset. cf. Varro L. L. X. p. 589.

O c c a t i o ab occaecando. Me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat. Quae quum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est. de sen. XV, 51. Cum Cicerone consentiunt Nonius p. 1244 et 1257 et Isidorus p. 406. A quibus discrepant inter se congruentes Varro de re rust. I. 31 et Verrius Flaccus ap. Fest. s. v. Hic enim refert: Occare et occatorem Verrius putat dictum ab occaedendo, quod caedat grandis globos terrae, quum Cicero venustissime dicat ab occaecando fruges satas. Venustatem sibi habeat Cicero, at recte non iudicavit. Neque libentius assentimur Vossio s. v. et Dacierio ad Fest. l. c., ab Hebraeo דָּקַק (comminuit) occationem petentibus. Unus Scaliger ad Fest. l. c., quod ante pedes est, vidit, occare esse dictum ab occa, quod est rastrum, ut Isidorus refert in glossis. Verum occae origo adhuc impenetrabili caligine est involuta.

Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus graece id ipsum nomen habet; *Κρόνος* enim dicitur, qui est idem *χρόνος* id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus quod saturaretur annis. de N. D. II. 25. 64. Duplex in hac disputatione latet error. Primum enim, quid est, quaeso, quod Saturnus idem habeatur atque *Κρόνος*? Quam exsibilanda opinio! sed etiam nunc tamquam plausibilis repetita. Ipse enim Buttmannus Mytholog. II. p. 34. rationibus eam fulcire sustinuit. Sed quascunque testimonii loco affert similitudines, eae sunt ad summum speciosae superanturque multo gravioribus discrepantiis cf. Lob. de Dodecatheo p. 3 et 9 seqq. Deinde vero *Κρόνος* neutiquam idem est iudicandus, qui *χρόνος*. Multo enim ante *Κρόνος* a Graecis colebatur, quam recentiores fabularum interpretes allegorici in animum inducerent comparare *Κρόνον* cum *χρόνῳ*, qui et ipse suos liberos, dies, menses, annos devoraret; quemadmodum Jupiter (*Κρονίδης*) ab Aristotele de mundo *ὁ Κρόνου καὶ χρόνου λέγεται, διήκων ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος εἰς ἕτερον αἰῶνα.* Quodsi vero neque *Κρόνον* eundem censeamus, quem *χρόνον*, neque Saturnum conferamus cum *Κρόνῳ*, difficile est dictu et inexplicabile, cur Saturnus appellatus sit, quod saturaretur annis. Itaque Saturnum, quum is culturae agrorum praesideret, quod etiam falx ei est insigne, nominatum arbitramur a sationibus cf. Fest. s. v. quasi ad ipsum satio omnium pertineret rerum. Isidor. Orig. VIII. p. 195. Est enim a satus Saturnus, ut diurnus a

dius (diu), nocturnus a noctus (noctu), somnurnus a somnus, taciturnus a tacitus.

Sol dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. de N. D. II., 27, 68. Neutrum mihi Sabini, quum hoc vocabulum procuderent, cogitasse videntur. cf. Varro L. L. v. p. 73.

Tumultus quid est aliud, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Philipp. VIII, 1, 3. A timore quidem Ciceroni tumultum videri appellatum, in aprico est; sed utrum productione an compositione, non satis patet. Etsi illud cum verbis magis congruat, hoc tamen alterum ab Isidoro Orig. XVII, 1 p. 436 sumitur, qui Ciceronis loco subiicit: quasi timor multus. Verum neutra ratio assensu digna. Quod recte dispexit et Vossius s. v. et Dacier. ad Fest. s. v. tumultuarii, qui tumultum a tumendo esse factum docuerunt. Sed Vossius argumentatur tumultuarie, si et Ciceronem idem sensisse contendit. Etenim lectio timor non Tullianorum modo codicum consensu firmatur, sed indubitabilis etiam est, propterea quod Ciceronis verba, nulla litera mutata, iterantur a Quintiliano VII, 3, 25 et ab Isidoro l. c.

§. 3. Jam, quum tripartitam supra fecerimus divisionem, accedimus ad tertiam partem, paullo impeditiorem, in qua subinde haerebit disputatio. Et primum quidem eas recensebimus Ciceronis etymologias, quas, si non ab omni dubitatione

sint liberae, ita certe moratas putamus, ut sine temeritate et inconsiderantia approbari queant.

Dis quasi Dives. Terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui Dives, ut apud Graecos *Πλούτων*, quia et recidant omnia in terras et oriantur a terris. de N. D. II, 26, 66. Si verum est, nomen Ditis ex Divite esse contractum, quod fieri sane licuit per literarum naturam cf. Schneid. II. p. 361: nihil est magis consentaneum quam contendere cum Dite *Πλούτωνα*. Etenim *Ἅιδης*, quia cum reliquis *θεοῖς καταχθονίοις* tamquam *Πλουτοδότης* colebatur, post Homeri Hesiodique aetatem nomen reperit *Πλούτωνος* sive *Πλουτέως*, *ὅτι ἐκ τῆς γῆς κάτωθεν ἀνίεται ὁ πλοῦτος.* Nomen *πλοῦτος* autem, siquidem ex consociatione vocabulorum *πολύ* et *ἔτος* natum est, maxime frugum significat abundantiam. cf. Pind. Nem. XI, 39. Quam ob caussam iam Hesiodus Opp. 435 agricolam hortatur:

εὔχεσθαί δὲ Διῒ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ,
ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.

Liberum nostri maiores auguste sancteque cum Cerere et Libera consecraverunt: quod quale sit, ex mysteriis intelligi potest. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera, quod in libero servant, in libera non item. de N. D. II, 24, 62. De Cereris filio agitur, non de Libero, Semela nato, quem antiqui Romani fortasse ne norunt quidem. At Festus s. v.: Liber, repertor vini, inquit, ideo sic appellatur, quod vino nimio usi omnia libere loquantur. Cui repugnat Seneca, Liberum non ob licentiam linguae dictum ratus,

sed quia liberum servitio curarum animum asserat, vegetumque et alacriorem in omnes conatus faciat. Graecam habere Liberum originem Servius obtinet et, qui ei obtemperat, Perizonius ad Sanctii Min. p. 749. Uterque enim a Graeco *λείβω* Liberum derivat. Sed quo diligentius has opiniones perlustro, eo magis inclino ad Ciceronis notationem, quam inter probabilium numerum propter unam Liberam non dubito recipere.

Luna a lucendo. Dianam et Lunam eandem esse putant. (aut igitur Romanorum Diana cum Graecorum *Ἀρτέμιδι* nihil habet coniunctum, aut *Ἄρτεμις* Romae coli coepta est, quum iam confunderetur a Graecis cum *Σελήνη*). Luna a lucendo nominata; eadem est enim Lucina. (Videmus ex hoc loco luce clarius, quod quidem aliis quoque testibus non minus idoneis abunde est comprobatum, non Lunam solam, verum etiam Iunonem Lucinam ab Romanis cum Diana esse commixtam). Itaque ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam; sic apud nos Innonem Lucinam in pariendo invocant. de N. D. II, 27, 68. In quo notandum est, Graecas mulieres non Dianam Luciferam i. e. *φωσφόρον* sive *δᾳδοφόρον*, quo cognomine insigniebatur nocturna venatrix, sed *Λυσιζώνην*, *Λοχείαν*, *Εἰλείθυιαν* in partu invocasse. Ceterum cf. Varr. L. L. v. p. 73. et Voss. Etym. s. v. Diversa est Nunnesii opinio, qui lunam *κατ' ἀφαίρεσιν α σελήνη* dictam autumat. Profecto optione eligendi facta, utram originationem malimus, Ciceronis approbare rationem non dubitamus, etiamsi nondum omnem suspicionem discusserit Doederl. IV. p. XV,

quocum digladiatur C. Schmidt in Jahrb. für wissensch. Crit. 1832 Nr. 119.

Nascio a nascendo. Quodsi tales dii sint, ut rebus humanis intersint: Nascio quoque dea putanda est, cui, quum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus; quae, quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Nascio nominata est. de N. D. III, 18. 47. Licet enim substantiva verbalia in *io* exeuntia multo frequentius a supinis oriantur, tamen non inaudita sunt nomina, quae terminationem *io* verbi radici affigant: legio, internecio, oblivio (oblivere cf. Struv. p. 267), obsidio, optio, religio, suspicio. Utram vero Nascio an Natio, quam formam alii codices exhibent, suppositicia sit, id, ut in re parum cognita, ad liquidum adduci nequit, nisi forte ratio Tullianarum originationum ex aliis exemplis perspecta Nascionem commendare atque tueri videatur.

Nenia a *νηνίᾳ*. Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easque etiam cantus ad tibicinem prosequitor: cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur. Legg. II, 24, 62. De hoc Latini nominis etymo Ciceroni assentiendum arbitramur, licet apud scriptores, qui ad nostram memoriam pervenerunt, nusquam *νηνία* legatur. Tullius enim luculentius Graece scivit (Fin. II, 5, 15), quam qui novandis ficticiis verbis imponere nobis posset. De Graecae autem vocis origine magna exarsit controversia, quam nobis componere non contigit. cf. Verrius ap. Fest. s. v. ibique Scaliger. Voss. s. v.

Penates a penu. Non longe absunt ab hac vi (quae ad aras et focos pertinet) Dii Penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam Penetrales a poëtis vocantur. de N. D. II, 27, 68. Omnia haec vocabula: penus, penes, penitus, penetrare, Penas cognationis quidem vinculo videntur coniuncta; sed qua analogiae via Penates ex uno alterove sint nominati, subobscurum est. Videlicet adiectiva: summas, optimas, magnas; Arpinas, Privernas et quae sunt id genus reliqua, ad Penatium ortum patefaciendum parum sunt accommodata.

Postliminium ex post et limen coniugatum. Topic. VIII, 36: Multa in disputando eliciuntur ex verbo, ut, quum quaeritur postliminium quid sit, non dico, quae sint postliminii, (nam id caderet in divisionem, quae talis est: postliminio redeunt haec, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena recipere solet.) sed quum ipsius postliminii vis quaeritur et verbum ipsum notatur. In quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi post; et liminium illud productionem esse verbi vult, ut in finitimo, legitimo, aeditimo non plus inesse timum, quam in meditullio tullium. Scaevola autem, P. F. iunctum putat esse verbum, ut sit in eo et post et limen, ut, quae a nobis alienata sunt, quum ad hostem pervenerint et ex suo tanquam limine exierint, deinde, quum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. cf. Boëth. ad h. l. Adstipulamur cum Vossio s. v.

Scaevolae sententiae tum propter postliminii significationem, tum propter formationis rationem cum legibus compositionis plane congruam; et tam diu in hac opinione persistemus, donec Servio patronus exstiterit, qui quadrisyllabam istam paragogen liminium ex abstrusis latebris in lucem protulerit.

Proletarius a prole. Etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens Servius Tullius, qui quum locupletes assiduos appellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentum aeris aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit, ut ex iis quasi proles, id est, quasi progenies civitatis exspectari videretur. de Rep. II, 22, 40 cf. Gell. XVI, 10. Fest. s. v. et Non. p. 1284, qui si recte proletarium a prole edenda appellatum existimant, caussam simul afferunt, cur proletarium enuntiaverint Romani, non prolitarium, ut ab herede hereditarium. Quippe tum proprie proleditarius dicendum erat, ut editarius eodem pacto propagaretur, quo emissarius, remissarius, mandatarius mortuarius, refractarius, sectarius, statarius. Quae quum ita sint, equidem Doederlinii voluntati, nonne ad prolevandi verbum proletarius referri queat, interrogantis II p. 215, obsequi non possum.

Proserpina eadem, quae Περσεφόνη. de N. D. II, 26, 66. Ineptit Varro L. L. V p. 74. qui dicta. inquit. Proserpina, quod haec ut serpens modo in dexteram, modo in sinistram partem late movetur.

Religio a relegendo. Qui omnia, quae ad cultum deorum pertinent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. de N. D. II, 28, 72. De religionis ortu vetus est inter viros doctos contentio, quorum argutulas opiniones ne denuo ruminemur, prohibet singularis Hahnii de hoc nomine commentatio nuper conscripta, quam, etsi ipse inspicere non potui, tamen ex Annal. Heidelberg. cognovi non modo in enumerandis variis opinationibus esse copiosam, sed etiam strenuam et diligentem in earum rationibus perpendendis.

Reos appello, quorum res est. Sic enim olim loquebantur. de Orat. II, 321. cf. II, 43, 138. Fest. s. v. et Beroald. ad Apul. Met. I. p. 54. Longe igitur latius antiquis temporibus patuit reorum nomen; quamquam et ipsa Ciceronis aetate non criminis solum arcessiti appellabantur rei, sed ii etiam, unde petebatur. cf. pro Rosc. Com. XIV, 42.

Superstitiosi sunt appellati, qui totas noctes diesque precabantur, ut sui sibi liberi superstites essent: quod nomen patuit postea latius. de N. D. II, 28, 72. Patrocinamur huic originationi, non quo miram istam rationem, qua nititur, approbemus, sed quia superstitiosum a superstite nominatum credimus. Nobis enim superstites, qui a superstando nomen ceperunt, ut antistites ab antestando, praestites a praestando, quum alios, tum eos insignivisse videntur, qui ni-

mii essent in aliqua re; quo in genere Graecorum περισσούς, περιέργους in comparationem vocare licet. Quod si verum esse conceditur (neque dubitamus, quin concedendum sit, confisi Festi fragmento, quo traditur hoc p. 55: Volgari quidem consuetudine ponitur (superstes) pro iis, qui satis superque sint): hoc igitur si ita est comparatum, facile fieri potuit, ut, qui pro suis moribus nimis scrupulosi essent in religione, superstitiosi appellarentur. Idcirco varia huius vocis etyma, a Lucretio, Varrone, Nonio, Servio, Lactantio indicata, quorum nullum nobis non displicet, silentio praeterire maluimus. Congesta sunt praeterea a Vossio in Etymologico s. v.

Tripudium a terra pavienda. Quia, quum pulli pascuntur, necesse est, aliquid ex ore cadere, et terram pavire; terripavium primo, post terripudium dictum est; hoc quidem iam tripudium dicitur. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium sollistimum nuntiatur. de div. II, 34, 72. Concinit cum Tullio Festus s. v. puls; neque adversatur tripudii significatus, quem suspicionis nota adspergit Doederl. IV p. 39. At qua machina terripavium vertitur in tripudium? Primum *a* in *u* transire solet: κραιπάλη crapula, maxime in compositis: taberna contubernium cf. Schneid. I, p. 11. Ideo ex pavire (παίειν) obpuvere et depuvere cf. Fest. s. h. v. Tum terra antiquitus tera cf. Schneid. II, p. 431 et Varr. L. L. V, 4 p. 30. Est enim ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur. Itaque ex teripuvium facile tripuvium. Iam aqua haeret. Nam *d* impudenter surrepsit, nisi forte hiatui tollendo inservit.

Etenim *v* litera, in meditullio duarum vocalium collocata, quum exilius sonaret et ad vocalem *u* propenderet, saepe excidisse traditur. cf. Schneid. I. p. 361. Ergo tripuuium tripuium. En vox, quod miserandum sit, hiulca! Hiatus igitur, quoquo modo fieri potest, explendus est. Quodcirca aut *ui* coagmentandum in *u*; ut cui re (rei) cur cf. Schneid. I p. 127, ita tripuium tripuum, et hoc, quoniam iterum hiscit, in tripum conglutinandum cf. Schneid. III p. 334: aut ex tripuio faciendum, litera *d* inserta cf. Schneid. I p. 129 et 260, tripudium. Hanc alteram rationem, ut quae longe praestaret, ab Latinis esse praepositam patet. Nam in tripo quis divinaret terripavium?

Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur. de N. D. III, 31. 65. Similiter pedulis pro pedalis. Sed Festus s. v.: versuti dicuntur, inquit, quorum mentes crebro ad malitiam vertuntur, E verto igitur versus, inde versutus. Utramcunque originationem praeferimus, versutus semper per se spectandus est. Nam cetera adiectiva in *utus* finientia vel sunt participia, ut acutus, argutus, vel a substantivis ducta, ut astutus, cornutus, nasutus.

Vituperare a vitio parando. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum vituperare. de Fin. III, 12, 40. Profecto si alterum est ab altero, vituperare a vitio puto compositum et parando sive pariendo. Utrumque enim a principio unum verbum atque idem fuit. cf. Struve

p. 274. Verum non sine difficultate haec est compositio. Nihil dico de transitu vocalis *a* in *e*, qui dominatur in verborum iunctura cf. Schneid. I. p. 9; nihil etiam de *u* litera vice vocalis *i* (vitiperare) fungente cf. Schneid. I. p. 18. Nam qui de his rebus copiosius dissereret, nodum quaereret in scirpo. Ubi est ergo nodus, quem expedire oportet? Nimirum haesitabundus, quid de rara verbi cum substantivo coniugatione statuam, miror. Quid vero? rarane ea consociatio est iudicanda? Nonne aedificare, pacificare, significare, velificare; navigare, remigare; belligerare, morigerare; auspicari; opitulari; participare sunt verba cum substantivis copulata? Minime gentium. Sunt potius verba ab adiectivis compositis derivata, vel si adiectiva deessent, ad similium analogiam conformata. Pacificare est a pacifico, significare a significe, velificare a velifico; remigare a remige; belligerare a belligero, morigerare a morigero; auspicari ab auspice; participare a participe, similia ab similibus. At aedificare, navigare, opitulari non possunt ad aedificum sive aedificem, ad navigem et ad opitulum referri, quum hae quidem voces in consuetudine non fuerint. Eodem modo vituperare ad istorum similitudinem factum videtur, quasi originem traxerit ab adiectivo quodam vituperus, unde vituperium, ut puerperium a puerpera. Qui Sanscrite sciunt, compendium faciunt interpretandi viae. Scilicet in procinctu habent praepositionem *vi* inseparabilem, quam nos quidem in sermone Latino aliunde non novimus, stirpem *tup* (Sanscrito *tup*-laedere, Graece τυπ) et termi-

nationem *erare*. Quibus partibus, ut par est, compositis, purum putum nanciscuntur verbum vituperare. cf. Benary in Jahrb. für wissensch. Crit. 1835 Nro. 19.

Postquam ex numero ancipitum notationum eas pertractavimus, quarum indoles erat ita comparata, ut prorsus desperari non deberent: nunc procedit oratio ad subnectendas eas etymologias, in quibus considerandis ad refutationem magis, quam ad assensionem proclinat disputatio.

Aristolochia ab Aristolocho inventore. Quid aristolochia ad morsus serpentum possit, (quae nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio) video. de Div. I, 10, 16. Varia rerum nomina a ficticiis inventoribus deducere, est illa pervulgata quidem, sed explodenda veterum ratio. Quae si etiam ad aristolochiam pertinet, rectius a Plinio huius nominis origo videtur demonstrata. H. N. XXV, 8.

Ceres est a gerendis frugibus appellata tamquam Geres: casuque prima litera ibidem immutata, ut a Graecis; nam ab illis quoque Δημήτηρ quasi Γῆ μήτηρ nominata est. (cf. Schol. ad Eurip. Phoen. 683 et 1296 ed. Matth.): de N. D. II, 26, 67. cf. Varro L. L. v. p. 70. Ab hac Cereris notatione ne transversum quidem digitum discederem (nam de *c* et *g* inter se permutatis nemo altercabitur cum Schneidero I. p. 232 seqq., et substantiva, quae ut geres a gerendo sunt formata, iam supra nonnulla attulimus): acquiescerem, inquam, in Ciceroniana Cereris enodatione, modo ne gerendi vis mihi scrupulum iniiceret. Quamquam enim locutionem fruges gerere a

Latina consuetudine non abhorrere probe scimus cf. Doederl. I. p. 154: tamen in solo verbo gerendi haec potestas vix potest posita esse. Circumspicientibus igitur alia vocabula, quae ad explicandum Cereris nomen sint accommodatiora, obviam se nobis dat *Γηρυς*, quam, si lectio apud Hesychium s. v. *Ἀχερώ* constaret, haud scio an cum Cerere cohaerentem arbitrarer. Sunt praeterea, qui Cererem dictam velint a creando cf. Voss. s. v.; quod non sine iure videntur facere, quum praesertim creo olim audiverit cereo cf. Varro L. L. VI, 8 p. 257; ex quo perspicitur, qua de caussa Cerus manus in carmine Saliari indicaverit creatorem bonum. cf. Fest. s. v. Matrem matutam.

Jupiter, quia iuvans est pater. In enodando Jovis nomine veteres Graeci et Latini mirum in modum laborarunt. Aristoteles enim, ut exemplo utar, tradit de mundo VII: *καλοῦσι δὲ αὐτὸν Ζῆνα καὶ Δία, παραλλήλως χρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν, ὡς κἂν εἰ λέγοιμεν, δὶ ὃν ζῶμεν.* Quod quid sibi velit, clarius apparebit ex Chrysippi fragmento apud Stobaeum Eclog. I, 26: *Ζεὺς μὲν οὖν φαίνεται ὠνομάσθαι ἀπὸ τοῦ πᾶσιν δεδωκέναι τὸ ζῆν. Δία δὲ αὐτὸν λέγουσιν, ὅτι πάντων ἐστὶν αἴτιος καὶ δι' αὐτὸν πάντα.* cf. etiam I, 24 et Apulei. de mundo p. 370 ed. Bosscha. Verum difficilis sane est vocis *Ζεύς* originatio, quae quidem varias eiusdem nominis formas *Ζεύς*, *Σδεύς* cf. Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 55, *Δεύς*, *Ζήν*, *Δήν*, *Δάν*, *Ζής*, *Δίς* aequabili probabilitate circumplectatur. Transgrediamur ergo ad Ciceronianam Jovis interpretationem, quae haec est: Ipse

Jupiter, id est iuvans pater, quem conversis casibus appellamus a iuvando Jovem, a poëtis pater divûmque hominumque dicitur. de N. D. II, 25, 64. Quae verba hanc sine dubio habent sententiam: Jovem Latini veteres appellavere a iuvando, eundemque alio vocabulo iuncto patrem dixerunt; nam quod est in elisis et immutatis quibusdam literis Jupiter, id plenum atque integrum est Jovis pater. Gell. V, 12. Iuvare igitur in casu recto non secius, quam in obliquis esse creditur. Quod utrum firmum sit ac ratum, an minus, statim excutiemus, si breviter aliorum sententias perstrinxerimus. Inter veteres, quod meminerim, Ciceroni praeivit Ennius apud Varronem L. L. V, 10 p. 70; assenserunt Apuleius de mundo p. 370, qui Ciceronis et Chrysippi opiniones coniunxit, et Gellius V, 12; refragatus est Lactantius Fals. Rel. I, 11, 11. Recentiores admirabile est, quanto labore ac sudore Jovis latebras indagare studuerint. Nulla enim, prope dixerim, innotuit lingua, quin Jovi ortum dedisse tradita sit. Sed de his umbrarum captationibus taceamus, non veriti, ne quid ex hoc silentio vera Jovis etymologia detrimenti capiat. Veterum auctoritati Struvius p. 22 et Schneiderus III p. 157 eatenus fidem habent, ut nominativum Jupiter ex antiquo nominativo Iovis [1]) et pater co-

[1]) Antiquus ille nominativus praeter locos a Struvio et Schneidero citatos invenitur etiam in Ennii fragmento ap. Apulei. de deo Socrat. p. 121.

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

alitum arbitrentur, sed disparili uterque ratione. Nam Schneiderus Jovis pater concrevisse censet in Jovipater (tresviri treviri cf. Schneid. p. 476.), vel potius in Jovipiter (laxus prolixus cf. Schneid. p. 10); deinde *v* elapsâ (Id. p. 361) et *oi* coagulatis in *u* (bovibus bubus Id. I p. 83) ex Jovipiter exstitisse Jupiter. At Struvius, simulatque in voce Jovis terminationem summovit adscivitque alteram compositionis partem, Jovpiter et ipsum Jupitrem (cf. Prisc. VI p. 72 et Ruddimann. instit. gr. lat. I p. 63 ed. Stallb.) deprehendisse sibi videtur. Sed medium est Jovpitrem inter et Jupitrem intervallum, quod transvolari nequit, nisi i compactioni inserviens pontem quasi fecerit. Quo facto Schneideri vestigiis ingredimur. Nam diphthongi ou alia videtur ratio. cf. Schneid. p. 84. Sed Jovis ille utrum a iuvando an ab alio verbo dictus sit, neuter explicavit. Quamvis vero luculenta sit Schneideri et Struvii notatio, quamvis comprobetur firmissimis argumentis: tamen, si confessum est, quod memorat Varro L. L. V p. 71. Jovi antiquius fuisse nomen Diespitri, non possum, quin aliam veri quaerendi viam longe ducam potiorem. Nam Diespiter est diei et lucis pater. Gell. XII, 5 Macrob. Saturn. I, 15. Genitivus enim quintae declinationis in es terminatus, quem commemorant veteres grammatici cf. Schneid. III p. 355. a., in hoc

---

et Met. IV p. 311
Quem (Amorem) tremit ipse Iovis: quo numina terrificantur.

exemplo etiam nunc restat; neque in hoc solo cf. Appul. Met. VI, p. 440 et Quadrigarium ap. Gell. IX, 13, ut praeteream locos a Schneidero laudatos. Quod non meminisse videtur Struvius, quum scriberet §. 9, 1. b: In der *e* — Declination sind' von der Endung *eïs* keine Spuren vorhanden; nur die andere Endung *ei* ist die gewöhnliche, woraus mit Weglassung des Endvocals das blosse *e* entstand. cf. Beier ad Offic. III, 26, 98. Tum pro dies olim dictum esse dius, conficitur ex ablativo diu pro die (unde et interdiu dicitur, Titinius Fullonibus: nec noctu, nec diu licet fullonibus quiescant. Plautus Mercatore: Noctuque et diu ut viro subdolassis. Idem Aulularia: Nec noctu nec diu quietus unquam eram. Non. p. 1263) et ex composito nudius id est nunc dies (tertius). Schneid. III p. 448. Itaque diei pater sive dius pater in composito sonuit Diupiter, unde Jupiter v. Schneiderum de propinquitate literarum di aute vocalem cum z I. p. 385. et consonae z cum *j* I p. 387. His expositis atque perpensis labefactatam censeremus orationem eorum, qui Jupitrem a iuvando propagatum dictitant: nisi nobis ipsis timendum esset, ne qua ex parte nostra ratiocinatio titubaret atque vacillaret. Adhuc enim dubitamus de Gellii et Macrobii fide, qui Diespitrem interpretantur diei et lucis patrem. Nimirum desideramus exempla, si non ex monimentis cultioris Latinitatis petita, quae verborum componendorum parcissima fuit cf. Lob. ad Phryn. p. 500, at ex artium scriptoribus populariter loquentibus vel ex primitiis indigenae poëseos deprompta, quae con-

similem ostendant ex obliquo et recto compositionis rationem. Nam pervulgata illa aquaeductus, agricultor, agrimensor, iurisconsultus, iurisdictio, iurisprudentia, legislator, ludimagister, plebiscitum, populiscitum, senatusconsultum et quae sunt id genus reliqua, nemo facile cum Diespitre contendet, qui quidem a synthesi parathesin discernere didicerit. Quod quum ita se habeat, impraesentiarum Jupitrem, sicut Maspitrem ex Mars et pater, ex Dius et pater ita iunctum putamus, ut Dius habeatur pro nominativo; qua in re, si auctoritate opus est, antestamur Varronem L. L. v. p. 70 et 71, nisi forte et ille dies pater, qui sane ambiguae est explicationis, dixit pro diei pater. Facit etiam ad nostram opinionem Vedius i. e. Veiovis, qui saepius legitur apud Martianum Capellam de Nupt. Philol. II p. 28. ed Basil. et nota illa affirmandi formula: me Dius fidius, sive eam interpretamur me Iovis filius, me Hercules, sive Dium fidium statuimus significare *Δία πίστιον* cf. Cort. ad Sallust. Catil. XXXV. et Interprett. ad Ovid. Fast. VI, 213. Quodsi vero in Jupitre nominativum Dius inesse dicimus, ante omnia expediamus oportet, quam vim ac potestatem huic nomini subiectam velimus. Videtur igitur, ut cum Ennio loquamur cf. Appul. de mundo p. 363 et Fest. s. v. Dium, Dius antiquitus designasse Hoc sublimecandens, quem invocant omnes Jovem; quod nolim cuiquam admirationem moveat. Idem enim factum videmus in consuetudine Persarum, qui *νομίζουσι Διῒ ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες.* Herod. I, 131.

Et profecto remanserunt etiam in posteriore Latinitate vestigia huius significationis satis perspicua. Etenim qua alia via factum dicamus, ut sub dio idem valeat atque sub coelo? cf. Varr. R. R. III, 5, 9. pro quo sub Jove usurpari licuisse brevi apparebit; usurpatum esse, inter omnes constat. Horat. Od. I, 1, 25. Hinc porro aequa facilitate cognoscitur, quomodo Jupiter descendere dicatur laeto plurimus imbri Virg. Eclog. VIII, 60 et glaciare positas nives Hor. Od. III, 10, 7. cf. I, 22, 19 et saeva grandine vernus fremere Juven. Sat V, 78. Indidem etiam explicabilis est coeli cum Jove in alteram partem commutatio, quam invenire mihi videor apud Juvenalem VI, 545, a quo vates Judaea nominatur summi fida internuntia coeli et XIV, 97, ubi Judaeos nihil adorare affirmat praeter nubes et coeli numen. cf. Petron. p. 683 ed. Burm. et Lips. ad Tacit. Hist. V, 5. An erit quisquam, qui istos locos istisque similes eo explicare malit, quod Romani Jovem ut Lucetium, Pluvium Tib. I, 7, 26, Fulgeratorem, Tonantem coluerint? Ex hoc ego quaerere non desisterem, cur tandem Jovem potissimum Romani appellaverint Pluvium ceterisque cognominibus insigniverint similem vim habentibus. Nam ex mea quidem sententia haec ipsa cognomenta quam maxime confirmant, quod supra pro vero sumsi, Jovem antiquitus coelum significasse. At unum video tergiversanti reliquum esse refugium, sed illud vereor ut multo tutius sit. Videlicet si quis in reiiciendis nostris argumentis perseverare voluerit, poterit is ad

4

Graecorum exemplum provocare atque sic statuere, Romanos Pluvii, Fulgeratoris, Tonantis nomina Jovi imponentes, nihil aliud quam Graecorum expressisse consuetudinem, qui et ipsi Jovem *Ὑέτιον*, *Ὄμβριον*, *Ἰκμαῖον*, *Καταιβάτην*, *Ἀστραπαῖον*, *Κεραύνιον* invocaverint. Sed ne hanc quidem ratiocinationem defugio. Quid enim? nonne ex ea concludere licet, et Graecos ipsos cascis certe temporibus ab eadem sententia, quam Romanis adscripsimus, non omnino fuisse alienos? Quod hercle mihi non persuaderem, nisi et in Graecorum lingua plura ad hoc credendum ducerent vestigia. Vide enim mihi, si collibet, *Διὸς ὄμβρον* Il. V, 91. Hesiod. Opp. 587, 621. *Διὸς οὖρον* Odyss. V, 176. *Αἰγύπτοιο Διϊπετέος ποταμοῖο ὕδωρ*. IV, 477. 581. *ποταμὸν ὀπαζόμενον Διὸς ὄμβρῳ* Il. XI, 492. *διοπετὲς ἄγαλμα* Eurip. Iphig. Taur. 948 ed. Seidl. quod idem *οὐράνιον βρέτας* vocatur v. 955. *λαμπαδοῦχον ἁμέραν Διός τε φέγγος* Iphig. Aulid. 1515. Confer etiam locos, quales hi sunt: Il. II, 144.

κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
ὤρορ', ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.

Il. XIX, 355. *ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται ψυχραί, ὑπὸ ῥιπῆς αἰθρηγενέος Βορέαο.*

Eurip. Electr. 729 ed. Seidl.

ξηραί τ' Ἀμμωνιάδες ἕ—
δραι φθίνουσ' ἀπειρόδροσοι,
καλλίστων ὄμβρων διόθεν στερεῖσαι.

Herod. VII, 8, 3. *εἰ τούτους τε καὶ τοὺς τούτοισι πλησιοχώρους καταστρεψόμεθα, οἳ Πέλοπος τοῦ Φρυγὸς νέμονται χώρην, γῆν τὴν Περσίδα ἀποδέ-*

ξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν. Cum his compara vocabulum *εὐδία*, quod, quippe cum nomine *Διός* coniunctum, proprie coeli serenitatem indicat. Pind Isthm. VI, 37 *ἀλλὰ νῦν μοι*

Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν
ἐκ χειμῶνος.

deinde vero etiam ad hilaritatem animi transfertur. Pind. Ol. I, 97

ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον
ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν
ἀέθλων γ' ἕνεκεν.

Haud longius a nostra caussa abest adiectivum *ἔνδιος*, quod legitur Odyss. IV, 450 *ἔνδιος δ' ὁ γέρων ἦλθ' ἐξ ἁλός.* Haec omnia, quae argumenta delibanti, non curiose sciscitanti in mentem veniunt, polliceri videntur, fore ut, si in quaestione industria ponatur, et alia permulta inveniri possint, quae Graecos a principio similiter de Jove cogitasse testentur, atque Romanos. Quod si ad liquidum perductum erit, non amplius dubitabimus, quin Jupiter cum nomine *Ζεύς* cognationem habeat, etsi Riemeri s. v. *Δίς* opinioni non adiiciemus calculum, qui sive suo ductus ingenio, sive Diomedem secutus grammaticum p. 417, vocativum *Ζεῦ πάτερ* in Latinum Jupitrem transmigrasse suspicatur. Probabilius enim videtur, cum Buttmanno I. p. 231 formam *Δεύς* existimare primigeniam eandemque propinquitatem agnoscere in Graecis *Δεύς*, *δῖος*, *θεός*, quae in Latinis Dius, divus, deus cernitur; quam affinitatem quodammodo conspicere licet in duplici illius proverbii forma *μὴ ματεύσῃς θεὸς γενέσθαι* Pind. Ol. V, 24 et *μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι* Isthm. IV, 14. Sed

haec hactenus. Restat, ut quomodo ex nominativo casus obliquos prognatos putemus, verbo expediamus. Nam Prisciano VI. p. 72. non est credendum, Jupitris genitivum Jovis ad aliud nomen transiisse. Sed enim si in Jupitre inest Dius, hic genitivum facit Diuis, sive quoniam millies *v* vocalibus se excipientibus interponitur (*ὄϊς* ovis, *βόες* boves, *νέος* novus, *ὠόν* ovum, *ταώς* pavus et pavo cf. Schneid. p. 366), Diuvis, Diovis cf. Schneid. p. 26 seq; inde Jovis; indidem vero etiam per *ἀναδρομήν* antiquus nominativus Diovis cf. Varro L. L. V. p. 71. Gell. V, 12, et Jovis. Haec igitur sunt, quae me commonuerunt, ut a Ciceroniana Jovis interpretatione decederem.

Meditullium terminatione tullium a medio factum esse, Servius putat Top. VII, 36; quo iure, viderit ipse, equidem non intelligo. Quin si confidentior essem, hunc fere in modum loquerer: Ut totam linguam Latinam perscrutemur, nusquam nobis obviam fiet paragoge tullium. Verum ego neque omnia latibula pervestigavi animo ad hanc terminationem intento, et probe scio, quam proclivis sit lapsus, si vel unum praetermissum erit. Itaque ne quid nobis arrogasse insimulemur, in praesens de ista paragoge ambigere contenti sumus. Quae si aspernanda est in meditullio, sponte consequitur, iunctum esse hoc vocabulum. Ex quibus partibus? interroganti Festus s. v. respondet: ab eo, quod est medius et tellus. Et cum Festo quidem propter vocales *e* et *u* inter se permutatas non facile expostulaverim cf. Schneid. I.

p. 13; at vero in compositione sitae sunt difficultates, quas nemo sibi diffiteri potest. Primum enim, quoniam formae tella a Doederlinio I. p. 174. fabrefactae nimium quantum sublesta est fides, compositionis analogia flagitare sibi videtur meditellurium. Deinde mihi saltem nullus innotuit locus, in quo telluris significatio clarius exsplendescat, quam in his Apuleii verbis de philos. moral.: Medietates virtutes vocat, quod in meditullio quodam vitiorum sint sitae. At, dicet fortasse quispiam, in compositis altera saepe pars quiescit, velut in adiectivis *μελάνδετος*, *μελαγχίτων*, *ὁμόπτερος*, *ὁμόστολος*. Recte ille quidem et vere; sed ad scrupulum nobis evellendum parum apte. Partim enim illa animadversio in Graecos magis convenit poëtas, quam in Latinos; partim ne apud Graecos quidem credo ullum inveniri compositum, in quo nunquam quasi expergiscatur alterius partis significatio. Nihilo tamen secius Festi auctoritatem susque deque haberi nolim, quippe qui, quum scriberet: „Meditullium dicitur non medium terrae, sed procul a mari, quasi meditellium, ab eo quod est tellus," certas mihi rationes habuisse videatur ex usu huius vocabuli ductas, cur alteram verbi potestatem probaret, alteram reprobaret. Atque si recte praecepit Festus de meditullio, Latinae voci eandem vim fuisse subiectam patet, qua usurpabatur Graecorum substantivum *μεσόγαια*. cf. Xenoph. Anab. VI, 2, 19. 3, 10. Lob. ad Phryn. p. 298.

Menses nominantur, quia lunae cursus mensa spatia conficiunt. de N. D. II, 27, 69. Dissentit Varro L. L. VI. p. 193, qui mensis a lunae

motu dictus, ait, dum ab sole profecta rursus redit ad eum luna, quod Graece olim dicta μήνη (v. Hom. Il. XIX, 374. XXIII, 455.), unde illorum μῆνες; ab eo nostri. cf. Isidor. p. 113. Mihi quoque varias Graeci nominis formas contemplanti (μήν, μείς Il. XIX, 117. Pind. Nem. V, 44, cuius genitivus μεινός in inscriptionibus saepius reperitur cf. Lob. de gr. monosyllab. p. 18. et μής, quod in Chia editione legebatur cf. Schol. Venet. XIX, 117.) atque reputanti, etiam in Romanis inscriptionibus passim mesis exhiberi, unde bimestris, trimestris, intermestris cf. Schneid. p. 461: haec igitur reminiscenti Latinum vocabulum a Graeca origine propius abesse videtur, quam quod sine iusta caussa ad metiendi verbum referatur.

Postliminii in substantivo cur plusculum notandum esse putemus, quam praepositionem post, quae sola Servio inesse videbatur, iam supra p. 38. indicatum est.

Sed quoniam et in antecedentibus veriloquiis paullo diutius immorati sumus et huius voluminis magnitudo longius processit, quae postremo sunt de inenodabilibus dicenda, quam fieri poterit paucissimis absolvemus. Quod eo excusatius videmur facturi, quo aegrius ferendum est, de his etymologiis ne talia quidem a nobis potuisse inveniri, qualia ipsi ad veritatis similitudinem arbitremur propensa. Atque hoc unum inextricabilium nomine intelligi voluimus, neutiquam ignari, si quando certae vocabulorum derivandorum atque componendorum leges in lingua Latina fuerint perspectae, multa, quae adhuc offusa sunt tetris tenebris, in lucem fore proditura; alia autem, quae hodie mordicus tenentur, sine ulla misericordia tum repudiatum iri.

Consul a consulendo. Regio imperio duo sunto: iique praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor. Legg. III, 3, 8. Conspirat Priscianus IV p. 41, qui tradit: In *il* vel *ul* desinentia, sive a nominibus sive a verbis derivata sunt, fiunt abiectione extremarum vocalium sive syllabarum primitivi, pugillus pugil, vigilo vigil, consulo consul, exsulo exsul, praesulo (?) praesul. Adhuc, quam Cicero verbo consulendi vim subiectam voluerit, nescimus; cognoscemus id autem ex hoc loco: Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura maximeque, id quod vis nominis ipsa praescribit, reipublicae consulendo. in Pison. X, 23. Praeter alios, quos commemorat Vossius s. v., consponsor est huius rationis Dionysius Halicarn. IV, 76 p. 270. a. Sed dissidet Varro qui L. L. V, 14 p. 85. Consul, inquit, nominatus, qui consuleret populum et senatum. Utramque sententiam respuens Niebuhrius Roem. Gesch. I p. 578 consulem simpliciter collegam insignire existimat. Etenim quum syllaba sul eum denotet, qui sit, velut in praesul, exsul, consules scilicet esse consentes. Quod audientibus nihil potest esse antiquius, quam ut percontentur, unde illa syllaba significatum eius, qui sit, deprompserit. Quid igitur respondetur? Nihil quidquam. Cur autem Varronis Ciceronisque originationi renuitur? Quia a principio reipublicae consules multo notabiliores fuerint

imperando, quam consulendo senatum vel consulendo reipublicae. At in consentibus multo minus vis inest imperandi, quam in consulentibus, praesertim si Quintiliano I, 6, 32 et Festo s. v. consulas. credimus, antiquos consulendi verbo etiam vim iudicandi et statuendi subiecisse. Sed ponamus, quod nequaquam concedendum est, consulendi verbum in primos consules ne tantillum quidem quadrasse: nonne idem Niebuhrius I. p. 577. auctor est, consules ab initio non consulum, sed praetorum nomine esse appellatos? Utcunque est, nos, quum tria omnino in lingua Latina sint substantiva in *ul* terminata, consul, exsul, praesul, Schneid. III. p. 152, ex certo de incertis coniecturam faciendam putamus. Manifestum est autem, a praesiliendo praesulem esse ductum; itaque etiam exsulem ab exsiliendo, consulem a consiliendo nominatum crediderim. Quamquam minime dissimulo, significationis nondum satis dare, quod Festus tradit: Consilium dicitur, quod in unam sententiam plurium mentes consiliant et conveniant.

Exsul, qui solum vertit. Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarint. Paradox. IV, 2, 31. Solum mutare sive vertere est sedem ac locum mutare. pro Caecin. XXXIV, 100. Ergo Tullius exsules proprie dicit, qui ex solo sint. cf. Non. p. 1223. et Voss. Etym. s. v. Et habet certe consimile nomen, quo nitatur, extorris. Verum nobis cur verius ab exsiliendo videatur exsul vocatus, modo expositum est. cf. Doederl. I p. 177.

Janus ab eundo. Quum in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviae iani, foresque in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur. de N. D. II, 27, 67. Miras huius interpretamenti difficultates etsi sensit Cornificius Etymorum libro tertio, tamen minime elevavit eo, quod Ciceronem non Janum, sed Eanum ab eundo nominasse statuit. Macrob. Saturn. I, 9. Nam a propinquitate literarum *e* et *i* non laboramus. Schneid. p. 15. Sed primum potest suboriri quaestio, utrum iani et ianuae a Jano an Janus potius a ianis et ianuis nomen traxerit. Tum vero nullum est, quod meminerim, nomen sive substantivum sive adiectivum, quod terminatione *anus* a verbo, nedum a verbi radice progeneratum sit. v. Schulz §. 36, 11. c. §. 43, 16. Itaque quum ceteras, quas pertentavimus, Jani originationes omnes videamus esse contortiores, nunc in eam inclinamus sententiam, ut a verbo *IΩ* eo primum viam dictam credamus (nam Varro L. L. V. p. 31 et 37. R. R. I, 2, 14 et Isidorus Orig. XV, 16 p. 374 nobis non persuaserunt viam sive veam a vehendo esse appellatam); ex via deinde Vianum, ut ex silva Silvanum. Porro *v* litera in Viano non necessaria: ergo Janus. Quid vero? potestne litera quaelibet ad libitum aut tolli aut praeponi? Nullo modo. Verum *v* literam sive *b* (utraque enim, proximis affinitatis vinculis constricta, in antiquis monimentis innumerabiliter cernitur confusa: bixit vixit, bibus vivus. Schneid. p. 227)

in verbis ab eundo ductis ideo non arbitror necessariam, quod in iisdem derivatis modo adest, modo abest. Itare dicitur idemque bitare, betere Pacuv. ap. Non., bitere Plaut. Merc. II, 3, 127 rebitere Plaut. Capt. II, 3, 20. Nam propter coniugationis commutationem bitere a verbo itandi seiungere nolim. Ea enim commutatio apud antiquos non raro invenitur: sonare et sonere Lucret. III, 157, tonamus et tonimus Varro Eudaemonibus ap. Non. p. 1546. Hoc igitur modo Ciceroniana Jani notatio quadamtenus videtur sospitata.

Lessus est lugubris eiulatio, ut vox ipsa significat. Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius lessum, quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat, quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Legg. II, 23, 59. Solon enim *ἀμυχὰς κοπτομένων καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν.* Plut. Sol. XXI. Qua ratione adducti Sex. Aelius et L. Acilius lessum fuisse vestimenti genus lugubris opinati sint, hodie diiudicari nequit; sed vereor, ut iustas caussas habuerint. Quanto rectius L. Aelius et M. Tullius! Omnino enim de lessus potestate non ambigendum censeo. An tenebricosa sunt Plauti verba? Trucul. IV, 2, 18:

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio.

Sed quae sit in hoc nomine *ὀνοματοποίησις*, ingenue confiteor me nescire. Neque magis

intelligo, quo iure Doederlinius III., 152 lessum a verbo laciendi dictum esse suspicetur.

Lituus iste vester, quod clarissimum est insigne augurum, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, quum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id est incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit, quum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer. de Div. I, 17, 30. Quam anceps haec esset enodatio non praeteriit Gellium, quum scite animadverteret, posse quaeri, utrum lituus auguralis a tuba, quae lituus appellatur, an tuba a lituo augurum lituus dictus sit. Noct. Att. V, 8. Quae quaestio antequam est profligata et ad exitum perducta, originatio litui omnino desponderi debet. Nam si quidam putant (cf. Gell. l. l.) tubam a sonitu lituum appellatum esse ex illo Homerico versu *Λίγξε βιός* Il. IV, 125: monstra illi narrasse videbuntur, quoad demonstraverint, potuisse Graecum *λιγύς*, a verbo *ΛΙΓΩ, ΛΙΓΓΩ, ΛΙΖΩ* deductum, Latine dici lidus (*γλυκύς* dulcis Schneid. p. 273. 259. 241. cf. Spald. ad Quint. I, 11, 5) et quoniam *t* literae cum *d* quaedam sit cognatio cf. Quint. I, 4, 16. Schneid. p. 254, minime esse mirandum, si pro lidus enuntiatum sit litus et latius lituus. Verumtamen omnis ista ratiocinatio, vix vixque exaedificata, in praeceps defertur, si tuba a bacilli auguralis similitudine lituus vocatus est. Namque in bacillo incurvicervico quid est striduli sonitus? Sin autem tuba lituo augurali nomen imposuit, de Schwenckii

opinione metuimus, qui lituum a litando nominatum contendit. cf. Zweit. Beitr. zur Wortforsch. der Lat. Spr. p. 69. Neque probabilius quidquam a Festo est constitutum, cui lituus dictus videtur, quasi sit litis testis. Omissis igitur his opinationibus in eam discedimus sententiam, ut utrumque lituum ab Etruria Romam invectum existimemus. A Tuscis enim Romani et insignia magistratuum et aruspicinam et musicam aliaque vitae civilis instituta et oblectamenta acceperunt. Atque cum tuba quidem, cui nomen est lituo, fortasse cohaeret σάλπιγξ illa Τυρσηνή saepe a Graecis commemorata. cf. Lob. ad Soph. Ai. p. 79.

Roma a Romulo. Atque haec quidem perceleriter confecit Romulus; nam urbem constituit, quam e suo nomine Romam iussit nominari. de Rep. II, 7, 12. cf. Varr. L. L. V, 4 p. 34 et V, 31 p. 146. Virg. Aen. I, 277. Quae alii de abstruso Roma vocabulo exputasse sibi videntur, ea relata sunt et recensita ab interpretibus Festi et a Vossio s. v. Robur.

Venus a veniendo. Quae autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt; atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate. de N. D. II, 27, 69. De Venere adhuc fluctuans est nostra sententia; id solum pro explorato habemus eius nomen post exactos demum reges increbruisse. cf. Cincium Alimentum ap. Macrob. Saturn. I, 12 et Varronem fragm. p. 371. Quodsi quis coniecturarum curiosus est a viris doctis in medium prolatarum, eum reiicimus ad Vossium (s. v. venustas), Doederlinium (III. p. 31) et Schwenckium (II p. 109).

Emendanda.

Pag.	1	vers.	2	pro siut lege sint.
—	2	—	16	pro iudagauda l. indaganda.
—	4	—	26	pro siut l. sint.
—	5	—	1	pro 5 l. 6.
—	5	—	2	pro οὕνεν' l. οὕνεκ'.
—	12	—	1	pro meus l. mens.
—	13	—	32	dele apicem.
—	15	—	25	pro uvidas l. uvidus.
—	23	—	24	pro absoletum l. obsoletum.
—	26	—	9	pro ab initio l. p. 38 ed. Buttm.
—	26	—	10	pro in Excurs. l. in Excursu IVto.
—	26	—	32	pro caudela l. candela.
—	28	—	4	pro primo l. primus.
—	31	—	28	pro דֹבק l. דָבק.
—	33	—	24	pro propte-rea l. propter-ea,
—	46	—	4	dele apicem.

Si quid praeterea in interpunctione et punctulis Hebraeis manifesto deprehenditur delictum, id non nescius silentio praetervectus sum.